

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.



1690.

1. Alberti, Val : De praesentando categorice in
libris symbolicos juramento.
2. Bonnius, Jacobus : De protestate status Imperii
protestantium circa matrimonium subditorum. diss I
caque de jure restringendi libertatem nuptiarum
circa eadem.
3. Carpzovius, Augustus Benedectus : De transportatione
defunctorum per territorium alienum. 3 Impl.
1690: 1724.
4. Inerti, Joh. Henricus : De officio partium valentio-
rum et iustarum faciendae pacis cum hoste facto
et iniquo.
5. Friebych, Matthaeus Tristorfem : De usu manuum.
6. Guesgenius, David : De monastis
7. Hyltus, Anders : Disquisitionis juridicae p. fia. Cod.
de acquir. et rebus pss. ad remedi inde competentis.
8. Hyltus, Anders : ~~Disquisitionis juridicae~~ De remissione
facinorosorum cumque transportatione per territorium
alienum. 5 Impl. 1690, 1720, 1729 & 1773

1690

99, 56. Philippus, Fridricus : Testamenta hominum
iurabilium.

10^a et
= Philippus, Fridricus : De praescriptione dominicae.
2 Sampl. 1718 i 1744.

11. Rechenberg, L. H. : De ineptis Clericorum Rom. litte.
rariis

12. Rechenberg, Adam : De relictibus novellis.

13^a et Schlemminger, Johannes : De legatorum iurisdictione
G. Lake. 2 Sampl. 1690 : 1743

14. Schreiter, Christophorus : De rebus mobilibus
in perpetuum praescriptis usum destinationis

15. Schwendenduerfferus, Bartholomaeus Leonhardus :
De officio auditoris.

16. Wichorst, Hermannus : De iniqua expulsionem
Othonis IV Imp. c. regno



Wahlmänner

Wahlmänner

Wahlmänner

Wahlmänner

Wahlmänner

Wahlmänner

Wahlmänner

Wahlmänner

Wahlmänner

Wahlmänner

Wahlmänner

Wahlmänner

Wahlmänner

P. 347.

L
C
F

L

A



Dis. J. 1608.

1. N. 7.
DISPUTATIO JURIDICA
DE

*2, 6r.
122.*

TRANSPORTATIONE
DEFUNCTORUM
PER TERRITORIUM
ALIENUM,

1690, 3 B

Von Durchföhrung
der Verstorbenen /

4

27 am

Auspice DEO TER. Optimo Maximo,
ET

Magnifico Jctorum Ordine permittente
PRÆSIDE

DN. AUGUSTO BENEDICTO
CARPZOVIO,

J. U. D. Pandectarum Profess. Publ. & Facultatis
Juridicæ Lipsiensis Assessore,

Publicæ Eruditorum disquisitioni submittit

Christian Stegfried Fritsch / Schwartzb.

AUTOR & RESP.

Die XVI. Januar. Anno MDC XC.

EDITIO TER.TIA.

LIPSIAE,

Typis JOH. CHRISTOPH. BRANDENBURGERI.



Dr. August O. Braunholtz
Dissertation
über
die
Anatomie
des
Menschen
von
Dr. August O. Braunholtz
in
Leipzig
1880
Verlag
von
C. Neumann, Neudamm
1880





I. N. J.

De

TRANSPORTATIONE DEFUNCTO-
RUM PER TERRITORIUM
ALIENUM.

CAP. I.

Verborum significationem & materiae parti-
tionem continens.

§. I.

Quemadmodum rerum in universum
omnium, ita LL quoque verum & genuinum sen-
sum frustra quis habebit exploratum, sine verbo-
rum cognitione exactâ. Verba enim rerum sunt
indices & notæ, quas ipsas cum vi & potestate ea-
rum tenere, hoc ædum esse leges scire, verissime
Celsus dixit, in *L. 17. ff. de LL.* Quare & nos de Transportatione
defunctorum per territorium alienum dicturi, illud servabimus, ut
antequam ad ipsam rei tractationem accedamus, verborum præ-
mittamus notationem acceptionemque variam, non solum lauda-
ti Celsi eâ in re, Caji que in *L. 1. ff. de O. I.* institutam secuti, sed
& ipsius Imperatoris Justiniani exemplum in *§. ult. 7. de Publ. Judic.*
L. 1. §. 11. L. 2. §. 11. L. 3. §. 1. C. de V. J. E. à quo nec maximi juris in-
terpretes recedendum sibi putaverunt, sicut & Antifium Labeonem
ad enodandos plerosque Juris laqueos usum esse cognitionis ver-
borum scientiâ ex Gellio, *l. 3. N. A. cap. 10.* novimus.

A 2

II. TRAN-



II. TRANSPORTATIO de loco in locum est portatio, à trans & portare descendens, quod idem est ac ferre, gestare; modisque duobus contingit: uno cum jumentis aut curribus aliquid nobiscum ducimus, altero, cum corpore nostro imitatione jumentorum ferimus. Sicut autem copiae, exercitus militesque transportari apud autores passim dicuntur, ita de funeribus & corporibus mortuorum hæc vox in sensu proprio, quando de loco in alium, ex territorio in aliud transferuntur, à Juris nostri Interpretibus usurpatur, Eckoldo *ad ff. de Relig. & sumt. fun. §. ult. Schiltero in Praxi Jur. Rom. in For. Germ. Disp. 21. th. 31. Besold. Thesaur. Pract. voc. Durchführung der Verstorbenen / aliisque. Est quidem & alia transportationis sed analogica & impropria in mercatorum Foro recepta acceptio, quæ transportantem aliquando dicunt, pecuniam ad cambium accipientem alioque remittentem, quem & transfactantem voce barbarâ appellant, aliquando ad delegationem cessionemque, item translationem nominum ex uno libro in alterum, ejus significatum extendunt, de qua re vid. Marquard. de Jure Mercator. lib. 2. c. 12. n. 51. 52. & cap. 15. n. 8. Schurkens Buchhalterey. pag. 12. sed huc minime pertinens.*

III. Cæterum æquipollentibus aliis in hac materiâ nominibus leges utuntur & autores: Ita transferri funus in *L. 38. ff. de Relig. & Sumt. Fun. L. 1. & 10. C. eod. L. 3. §. 4. ff. de Sepulc. viol. perferri in L. 14. §. 4. de Relig. & Sumt. Fun. deferri, vehi & transvehi Geth. Feltm. de Cadav. inspic. c. 39. n. 1. Brunnen. ad L. 3. ff. de Sepulc. viol. n. 3. Bötticher ad ff. Disp. 1. th. 69. dicitur, quod & vectum referri debet, quæ inter funeris sumtus a Macro recensetur in *L. 37. ff. de Relig. & sumt. Funer.* nisi per vecturam ibi feralem illam intelligere velis, quæ fiebat vel curru, vel à servis cadaver Domini in lecticâ, sellâ, lectuloque succolantibus *L. un. §. 5. sed & qui domini. C. de Latin. Liberi. toll. Just. Lips. l. 1. Elect. c. 6. & 19.* quando funus non peregre mortui in alium locum aliamque Provinciam, sed è domo mortuariâ esterebatur ad sepulcrum vel intra vel extra urbem. Mornac. *ad L. 37. ff. de Rel. & Sumt. Fun.* sicut hodieque vel curru vel à gestatoribus plerumque semper, maxime si viliores sint, ad hoc conductis cadavera mortuorum efferuntur: Ex quo etiam inter translationem & elationem seu exportationem funeris aparet differentia, de qua vid. Jo. Kirchmann.*

mann. *de Funerib. Roman. lib. 2. c. 1.* Andr. Qyenstedt *de sepult. veter. cap. 6. p. 106. sqq.* Pertinet & huc rubrica tituliff. *ut funus ducere liceat*, quam de deductione per viam publicam ex *d. L. 38. d. t.* explicat Wesenbec. *in paratit. ibid. Struv. Exerc. 15. Th. 83.* quanquam *funus ducere & exequias ducere* apud autores non tam transportationem, quam ipsas exequias & funeralem pompam denotet. Kirchmann. *d. l. p. 118.*

IV. DEFUNCTUS à defungendo (quod explicari negotio aliquo, eiqve finem imponere notat) qui vità defunctus est, *cadaveris, corporis, mortui, ossium* nomine passim in LL. nostris indigitatur *L. 3. ff. de in jus voc. L. 37. 38. 39. 40. ff. de Relig. & sumr. fun. l. 1. ff. de Cadaver. punitor.* Gerh. Feltn. *de cadav. inspiciend. cap. 1.* quò interdum corpus nondum sepultum & quod caret honore sepulturæ, qui alias hujus generis corporibus debetur, significant, interdum eorpus quodecunqve mortuum non attentò, an sepeliatur, an non. Ita *cadaver* effèrri dicitur ap. Livium 2. *Hist. 8.* atqve ita *a funere* distinguitur, cujus appellationem consequitur corpus, si sepeliatur: Pertinet eodem Isidorilocus lib. 2. c. 3. *Omnis mortuus aut funus est, aut cadaver. Funus est, si sepeliatur, à funibus accensis, quas ante feretrum, papyris cera circumdati ferebant, cadaver autem si insepultum jacet, nam cadaver nominatum à cadendo, quia stare non potest; Quòd dum portatur exequias dicimus, crematum reliquias, corpus autem à consuetudine dicitur, uti illud:*

--- -- tum corpora luce carentum,
Exportant tectis & tristia funera ducunt.

In legibus autem illa inter *funus & defunctum seu cadaver & exanime corpus* differentia tam rigide non observatur, nam quod in *L. 4. §. 2. ff. si quis caution. in jud. sist.* importat formula *funus prosequi*, id in *L. 3. ff. de in jus voc.* est *cadaver seu defunctum prosequi*, & in *L. 1. §. 4. ff. de Injur. L. 1. §. 5. C. de Lat. libert. toll.* alibiqve tanquam æquipollentia nomina usurpantur; Quemadmodum & in vernacula nostra vocibus *Leiche & Leichnam* sæpe promiscue pro corpore seu defuncto utimur, cum tamen illud aliquando exequias seu ceremonias funebres denotet. Nobis hic exanime hominis corpus denotat, quod per alterius jurisdictionem aut territorium vel cum vel sine aliquâ pompâ & ceremoniâ sepulturæ causâ deducitur.

V. TERRITORIUM à terrendo deducit Pomponius, in *L. 239. §. 8. ff. de V. S.* quod magistratus ejus loci intra eos fines terrendi *D. e. sub movendi potestatem habeat.* Cujacius ad *L. 53. C. de de- curion.* & Andr. Knichen de *Autocent. cap. 1. n. 2. à term* malunt de- rivare, cum & pro fundo saepe accipiat. *L. 28. §. 4. C. de Episc. & Cleric.* unde per allusionem territorium quasi *tauritorium*, ritum tauris, secundum Isidorum *14. in Orig. 15.* vel à bobus & aratro qua- si *terriborium*, ut opinatur Cato, in *Origin Lib. 5.* dicitur, quia veteres solebant prima civitatum fundamenta ponentes, vaccam intrinsecus tauro in dextram jungere & juncti ritui Sabino sivam tenere incurvam, ut glebae omnes intrinsecus caderent, & sic du- cto sulco designare armatam terram jurisdictione, suspendentes a- latrum ante portas.

VI. Aliter autem territorium in sensu *juris Civilis Romani*, a- liter *Imperii moderni* accipitur, illo sensu ex *d. l. 239. §. 8. de V. S.* uni- versitatem agrorum significat, intra fines cujusque civitatis, unde & per consequens aliquando pro districtu jurisdictionis sumitur. Joh. Gödd. ad *d. l. n. 2.* Theod. Reinking. de *Regim. Sec. & Eccles. lib. 1. class. 5. c. 1. n. 2.* quo respectu territorii appellatione veniunt castrum, civitas, oppidum, villa, pagus, hisque adherentes terrae agrique: Andr. Knichen de *Jure Territor. cap. 1. n. 203.* hoc certum terrarum spacium superioritate territoriali munitum denotat, non nisi im- medietatis imperii civibus statibusque competens, ob annexam scilicet dictam superioritatem, Chr. Ming. de *Superiorit. terris. pr. jure* quidem civili Justiniano plane ignotam, in nostrum tamen præ- sens Imperium Germanicum post Caroli Magni tempora introdu- ctam potestatem, summæ Majestati æmulam, omniaque, quæ ad regimen civile pertinent complectentem, vi cujus eadem ferme pos- se in territoriis suis dicuntur Imperii proceres, quod exercere Cæ- sares in universo Imperio. Hulder. Eyben. in *disser. ad illud dictum: Tantum posse status &c.* ap. Venerandum Dn. parentem Ahasv. Fritsch. *Vol. 2. Diss. Jur. Publ. 9.* Ludolf. Hugo de *Statu Region. Germ. cap. 4. n. 9. 10. 11.* Ming. *d. diss. concl. 54.* Myler ab Ehrenbach de *Princ. & Statib. Imper. cap. 14. n. 11. seqq.* Franzk. *L. 2. Ref. 15. n. 47.* Utrouque sensu territorii vox à nobis hic usurpabitur, cum venire possit, ut non per agros, viasque privatorum tantum, sed urbes etiam, pa- gos,

gos, aliaque loca, quæ à Magistratibus vi jurisdictionis sibi in uni-
us Principis aut status territorio concessæ, reguntur, imò terri-
toria aliorum principum statuumque perducenda sint defunctorum fu-
nera. Ubi tamen & illud simul observandam, non tam stricte ter-
ritorium à nobis hic pro terrâ continente tantum, sub alterius sive
domino sive Jurisdictione sive superioritate existente accipi, quo
sensu territorium nonnullis venit, quo pedibus terere & calcare
possumus, sed latius pro omni eo puncto, quod tam pedibus quam
navibus & alio adminiculo circumire valemus; unum enim & i-
dem reputatur territorium ait Bald. *ad L. 6. C. de condit. insert. n. 13.*
quod eminet super aquas & aquis immergitur: nam licet in aqua
propter subsequentem statim confluentiam, nulla rudera distinctæ
possessionis remaneant, nihilominus tamen ex aliis circumstantiis,
locis puta adjacentibus, distinctio territorium haberi potest, idque
non tantum in fluminibus, sed etiã in mari tum interno, tum ex-
terno, prout eleganter contra Grotium ostenderit Dñ. Ziegler
ad Joh. à Felde *in not. ad l. 2. de J. B. & P. c. 2. §. 3.* Selden. *de Domin.*
Maris lib. 1. cap. 22. Strauch de Imper. Mar. *cap. 2. sqq.* Struv. *Synt. Jur.*
Feud. cap. 6. aph. 7. n. 2. Atque adeò quando per prædia & loca,
per quæ transvehenda funera sunt, flumen sive publicum sive
privatum currat, in quo sive vado transeat, sive pontibus sive
pontonibus transjiciatur, sicut via tam privata, quam publica consti-
tui potest. *L. ff. de S. P. R.* ita de transitu cum defunctorum corpori-
bus ibi moveri solent controversiæ, indeque in nostram disceptatio-
nem veniunt.

VII. Cæterum dum ALIENI territorii in inscriptione mentio-
nem fecimus, eo quid indigemus non obscurum est. In proprio
sane fundo de Jure Romano funus ducere & sepelire mortuum cui-
vis liberum quidem erat *§. 9. f. de R. D. L. 6. §. 4. ff. eod.* sed quando
domum mortuariam inter & locum sepulturæ destinatum alterius
& alienus adeo intercedebat fundus, sine cujus contactu locus se-
pulturæ adiri non poterat, de viâ per eum concedenda oriebatur
quæstio, quæ sive jure servitutis præstabatur sive precario concedeba-
tur. *L. 10. L. 12. pr. ff. de Reliq. & Sumt. Fun.* Jac. Gutherius *de Jur.*
Manium Lib. 3. c. 12. non nisi in aliena re competebar, cum nec servi-
tus nec precarium, rei propriæ esse possit, *L. 5. pr. ff. si usufr. petar. l.*
45. ff.

45. ff. de R. J. Ex quo autem, ex Juris Canonici & nostri temporis institutis privatorum arbitrio & voluntati relictum amplius non est, profanum quovis locum illatione cadaveris religiosum facere, sed vel per Episcopum, vel ordinarium Magistratum, loca sepeliendis mortuis publicè destinantur, *cap. 4. X. de Relig. dom.* cum Reip. interfit, ne passim sepultis corporibus aer inficiatur putridis humoribus. *Carpz. Lib. 2. Def. Eccles. 373. sq. 385. 394.* Ziegler. ad Lancelot. *de Sepult. §. 1. §. ad Grot. Lib. 2. de J. B. §. P. c. 19. n. 2.* Finckelth. *de Jure Sepult. concl. 3.* ad illam urbem aut loco quo degimus per vias quidem publicas cuique patet aditus, sed quando per urbem aut jurisdictionem aliam peregre mortuorum corpora transportanda sunt, favore partim religionis, cuius summa semper ratio esse debet *L. 43. ff. de R. §. S. F.* partim vi illius humanitatis officii, quod alicui ex alterius solo aut territorio utilitatem Domino innoxiam capere permittit, huncque ad id ipsum præstandum obstringit, *arg. L. 2. §. 5. ff. de aq. §. aq. pluv. arcend.* constitutum, est ut & pro mortuorum corporibus utilitas innoxie transportationis præstetur, sicut & istam jam olim Romano- rum leges nulli sine iusta causa denegarunt. *L. 38. ff. de Rel. §. Sumt. Fun. L. 3. §. 4. ff. de sep. viol.*

III. Ex dictis constat transportationem nostram esse ejusmodi actum, quo per alterius jurisdictionem aut territorium funus seu corpus demortui hominis, ad sepulturam rite & secundum legem transfertur. Hic totus actus veteribus inter alia vocabulo *religionis* veniebat, quo omne id exprimebant, per quod corpora humana ad sepulturam & quietem transferebantur, unde summam esse rationem putabant, quæ pro *religione* facit & in ambiguis *Religionum* quæstionibus strictum jus insuper habendum, *d. L. 43. ff. de Relig.* Sic apud Phædrum *in Fabul. 27.* de ossibus thesauri cupiditate effossis:

Injecta est illi divitiarum cupiditas

Pœnas ut *sanctæ religioni* penderet.

Ubi *sanctæ religioni*, est *violato sepulcro*: Et apud Ciceronem *2. de Legib. 22.* Jam tanta *religio* est sepulcrorum, ut extra sacra & gentem inferri fas negent esse; credebant enim, animas non quiescere nisi corpora essent sepulta, atque ideo cerodaphia pro iis excitabant, & apud illa vocibus animas eorum, qui in mari aut flumi-

fluminis fluctu perierant, quorumve cadavera in saltibus insepulta jacebant & propter hostilem metum aliosve casus inveniri atque inde transportari non poterant, ciere solebant. Kirchemann de funer. Rom. lib. 3. c. 27. Adde Virgil. 3. *Aeneid. vers.* 304. cujus autoritate inane hujusmodi tumulum ad loca religiosa Marcianus in L. 6. §. ff. de R. D. referebat, contra quod tamen rectius divi fratres rescripserunt in L. 7. ff. d. t. quippe cum ibi non de nudo cenotaphio, sed geminis quoque aris loquatur Poëta ad eosque sacra fuisse facta. Schilter. in praxi Jur. Rom. in for. Germ. Exerc. 4. th. 5. Willenbach Disp. 9. ad Instit. th. 13. §. 99. Et licet hæc veterum qua Græcorum, qua Romanorum religio à nostrâ religione aliena sit, & superstitioni imputetur, facilisque multis credita jactura sepulchri sit, ipsa tamen erga mortuos reverentia, religionem ipsorum sepulchris & justas ceremonias poscere videtur.

IX. De jure ergo transportationis istius dicturus, ut certus tractationi nostræ ordo constet, primò de fundamento transportationis defunctorum, quoque jure nitatur illa, & Legibus de eâ disponentibus, inde quâ ratione licitè aut minus fieri queat, denique de remediis ejus nomine competentibus, dispiciemus.

CAP. II.

De

ANTIQUITATE ET FUNDAMENTO JURIS TRANSPORTANDI DEFUNCTOS PER ALIENUM TERRITORIUM ET LEGIBUS DE EO DISPONENTIBUS.

§. I.

Transportationes mortuorum per alienum territorium non Romanis tantum usitatae, sed aliis etiam Gentibus celebratae fuerunt. Sic quandoque corpora praestantium virorum in loco ignobiliori condita ad celebriora monumenta vel ex peregrinâ terra, ubi fatis concesserant, ad avita patriaque sepulchra magnâ pompâ ac solennitate solebant portari apud Gentiles. vid. Gerhard. Tom. 8. loc. Theol. n. 101. ad Kirchemann de Funerib. Roman. lib. 3. cap. 25. Erat enim hoc, quod hodieque est plerisque innatum omnibus, ut in gentis suæ sepulchro condi optarint. In L. 30. §. 2. ff. de adim. legat. ab heredibus

redibit Seja liberta petierat, ut si in provinciâ decessisset, sexaginta Lucio Titulo darentur, ut is corpus ejus curaret in patriam importari. Etenim infelicis loco habitum, si cui externâ in Regione mortuo, patrii sepulchri carendum esset. Quin imo poena fuit apud Abderitas, decoctores in patriâ non sepelire. Ne quis autem hunc erga patriam vel avita monumenta affectum miretur & tantum non culpet in Ethnicis, antiquissima transportatio fuit ossium Josephi ex Ægypto in Palestinam à Mose facta, ubi & patrem antea sepeliverat. *Exod. XIII. 19.* In Ecclesiâ primitivâ, Apostolica vicinâ nondum receptas fuisse translationes, idem Gerh. d. l. n. 129. memorat, sub Constantino M. autem transferri coepisse defunctorum *Αἰψάνα*, ex sepulchris obscurioribus ad loca celebriora, quod Constantinum ex Zelo pietatis non malo fecisse ait Martin. Chemnitius Exam. Concil. Trident. *de Reliqv. sanctor. Part. IV.* Sic Hieronymus contra Vigilantium scribit, Constantinum sanctas reliquias Andreae, Lucae & Timothei transtulisse Constantino-polin. Constantini factum magno studio imitati sunt & alii. Arcadium enim, narrat idem Hieronymus, ossa B. Samuelis post tam longum tempus de Judæa transtulisse in Thraciam. Ruffinus *lib. 2. c. 26.* describit translationem reliquiarum Johannis Baptistæ, novi testamenti prodromi, ex palæstina in Alexandriam. Quamquam translationes istæ, superstitionis postea facta sunt seminaria. Taceo innumera alia hujus generis exempla, cum de jure istiusmodi transportationum nunc disquirendum nobis sit ulterius.

II. Fundatur illud jus, præter summum religionis, quæ mortuis honestè justa funebria, & satis ipsorum desiderii, ut modo diximus, facere jubet, Grot. *lib. 2. de J. B. & P. cap. 19. n. 2.* ibique Ziegler & Ostander, favorem in obligatione istâ naturali, quâ alter obligatur alteri, ad præstandum & concedendum in re suâ illud, quod sine incommodo suo hujus utilitatem promovere potest: Et hoc illud juris vinculum est, quod æquitàtem suggerere Paulus Jctus ait, *in L. 2. §. 5. ff. de aq. & aq. plu. arcenda.* etsi aliquando jure deficiamus. Ant. Perez. ad *Cod. Tit. de Reliq. n. 5.* Innoxia utilitatis nomine apud moralis Philosophiæ Doctores venire solet, cujus duplex fundamentum statuunt, respectu concedentis alterum, alterum respectu utentis: illud quod ratione concedentis spectatur in obligatione naturali ex humanitatis jure de-

descendente consistit, quâ alter alterius utilitatem, quoad sine suo incommodo fieri potest, promovere tenetur, ad hoc enim obligatur homo eo ipso, quod homo est, cum parum sit alterum non lædere, nisi etiam boni quid in eum conferas. Homines hominum causâ esse generatos, ait Cicero 1. Offic. ut ipsi inter se aliis prodesse possint; Hoc, quod ratione accipientis attenditur, facultate Jure naturali & gentium concessâ absolvitur, usum rerum alienarum, pro commodo suo, sine tamen alterius incommodo impetrandi. Quamquam in statu civitatis libertas illa rebus æqualiter utendi, ob quæsitum dominium sit restricta, propter obligationem tamen illam naturalem, ex jure humanitatis fluentem, hominibus etiam jus est usum occupatarum rerum impetrandi, quamdiu sub innoxie utilitatis terminis facultas illa residet, unde si sine causâ denegetur, injuria censetur. Num. XXI. 21. sqq. can. ult. XXIII. qv. 2. Strauch. de Imper. Mar. c. 8. n. 2. Puffendorff. de Jur. Nat. & Gent. l. 3. c. 3. n. 3. f.

III. Ethinc descendit obligatio, quâ quis per suam territorium, ut alium innoxium transitum, ita etiam funeris deductionem concedere tenetur. Nam quamquam viarum publicarum proprietates olim populi Romani & deinde mutato Reip. statu summi imperantis esset, L. 1. §. 21. ff. ne quid in loc. publ. qui curatores publicis viis præficebat, uti Cæsar Augustus Generum suum Agrippam curatorem viarum constituit; hodie vero ex usu Imperii Rom. Germ. Principis ac Domini territorii strata publicæ sint propriæ, II. Feud. 56. R. 7. de Anno 1555. §. Wo auch im heil. Röm. Reiche teutscher Nation. add. verb. Elect. Sereniss. Saxon. apud Hortled. de causa Belli Germ. c. 22. verb. Dieweil jede Obrigkeit zu Recht Macht hat / aus billigen Ursachen einem andern ihr Land und Paß zu verbieten &c. Usus tamen viarum publicarum innoxius omnibus patet, nisi ex ejusdem concessione metus vel periculum immineat. Unde viâ publicâ uti, neminem recte prohiberi Imp. Diocletianus & Maximianus in L. n. C. de Serv. & aqv. rescripserunt, & fas esse transire per alienum agrum, Isidorus scribit in can. 1. disp. 1. adversus impedientem vero Ulpianus in L. 13. §. 5. ff. de Injur. & L. 2. §. 9. ff. ne quid in loc. publ. injuriarum actionem concedit. add. can. fin. XXIII. qv. 2. Bidembach. Disp. de Ord. Eqv. const. qv. 6. p. m. 83. sqq. Jam
B 2 transitus,

transitus, qui per deductionem funeris contingit plerumque est innoxius, unde inhumanum foret aliquem prohibere velle ad istum finem viâ uti publicâ. Hinc Liv. lib. 8. *Hisp.* sævitiam vocat ultra humanarum irarum finem, impedire, nec corpora humana terræ mandentur; Et hoc officium misericordiam ipsa sancta pagina *Ruth. c. 8. v. 2. Sam. 11, 5.* ultimum & maximum pietatis officium, *Lactant. 5. Inst. c. 12.* necessarium pietatis officium, *Ambros. init. Orat. in obitu Theodosi.* clementiam, *Capitolinus in M. Anton. Philosoph. diuini* sive iustitiam, *Euripides,* misericordiam & humanitatem, *Seneca de benef. lib. 5. cap. 20.* humanitatem & mansuetudinem, *Val. Maxim. lib. 5. c. 1.* & misericordiam ac pietatem *Ulpianus in L. & ff. quis 14. §. sed interdum 7. ff. de Relig. & Sumpt. Fun.* appellat.

IV. Sed plerumque innoxiam dixi esse funerum per alienum territorium deductionem, cum enim ob varias circumstantias, tum ex parte cadaveris perferendi, tum personarum transeuntium, aliasque perniciosum aliquando fit, transitum concedere forte si morbo contagioso extinctum sit funus, in viis Regiis per civitates & pagos, ubi nocere exhalationes pestilentes possint, aut per personas ex infecto loco venientes, deducendum, quin ob has aliasque graves causas denegari possit, dubium mihi non est, cum non ulterius officium illud, de quo hæc diximus, humanitatis se extendat, quam in quantum metus aut periculum mali, nobis per id inferendi, hanc limitat & restringit. Unde evenit, ut modo *licita*, modo *illicita* ista transportatio efficiatur, quod, quæ ratione contingat, nunc videndum.

V. Insinuant hanc nobis distinctionem Leges, quæ in Pandectis & Codice de istâ materia reperiuntur. Neque enim sola æquitas naturalis transportationem istâ nobis suggerit, sed Imperatorum quoque Constitutiones & Jutorum veterum Responsa certum illi modum præscripserunt. Et de licitâ quidem transportatione, præter *L. 14. §. 4. L. 8. L. 37. L. 40. ff. de Relig. & Sumpt. Fun.* duæ potissimum leges de eâ disertè disponentes in Digestis deprehenduntur, utraqve *Ulpiani*, altera in *L. 38. dist. tit. Ne corpora aut ossa mortuorum detinerentur, aut vexarentur, neve prohiberentur, quo minus viâ publicâ transferrentur, Præsidis Provincia officium est.* Altera in *L. 3. §. 4. ff. de Sepulch. viol. Non perpetua sepultura tradita*

ditæ corpora posse transferri, Edicto Divi Severi continetur, quo mandatur, ne corpora detinerentur, aut vexarentur, aut prohiberentur per territoria oppidorum transferri. D. autem Marcus rescriptit, nullam poenam meruisse eos, qui corpus in itinere defuncti per vias aut oppidum transvexerunt, quamvis talia fieri sine permisso eorum, quibus permittendi jus est, non debeant. De illicita ita Marcianus in L. 2. ff. de Cadaver. Punitor. Si quis in Insulam deportatus vel relegatus fuerit, poena etiam post mortem manet; nec licet eum inde transferre & alicubi sepelire inconsulto Principe, ut sepiissime Severus & Antoninus rescripserunt. Et Imp. Valent. Theod. & Arcadius in L. 14. C. de Religiof. Nemo humatum corpus ad alium locum sine Augusti assensibus transferat. Jung. L. 1. C. L. 39. L. 44. S. 1. cod.

VI. Unde hoc colligo licitam pronunciare recitatas leges transportationem, in itinere defuncti aut ad tempus depositi, non perpetuæ sepulturæ traditi corporis. vid. Anton. Faber in Rational. ad L. 39. de Relig. in f. Illicitam, quando effossum aternâ sede datum seu perpetuæ sepulturæ ante traditum, i. e. terra conditum, aut ob delictum à loco relegati, in patriam aut locum, ex quo relegatus quis fuit, deducitur. Quo de quidem in seqq. capitibus plura dicemus, postquam pauca quædam circa intellectum recensitarum legum præmonuimus.

NE CORPORA AUT OSSA MORTUORUM.) Jac. Gutherius de Jure Man. c. 1. c. 8. annotat, ubi in monumentis reliquiarum, cinerum aut ossium nomen legitur, peregrinam illud mortem plerumque denotare, quod & innuat L. 2. §. prator ait. 2. ff. R. & S. F. cum peregre mortuorum ossa, ut plurimum cineres & reliquie transportatæ fuerint, quod ex variis Inscriptionibus probat idem l. 3. de Jure Man. cap. 23. adde Kirchn. de Funerib. lib. 3. c. 7. unde & Florentinus in L. 42. ff. de Relig. corpus à reliquiis separavit. Nonnunquam tamen corpus integrum reportabatur, ut familiari monumento conderetur, ut colligere licet ex L. 30. §. 2. ff. de adim. leg.

DETINERENTUR AUT VEXARENTUR.) Vexandi appellatione hic Godofredus intelligit moram, quam forte injiciebant creditores. Sed hæc interpretatio menti Ulpiani non convenit, cum eo tempore nullâ poena aut actione teneretur, qui debitoris corpus funerari prohibebat aut detinebat. Ad cujus rei elucidationem facit

locus D. Ambrosii lib. de Tobia cap. 10. *A feneratoribus*, inquit, quoties vidi tenere defunctos, & negari tumulum, dum fœnus exposcitur? Quibus ergo acquiescens libenter, ut suum confringerent debitorem, ut electo eo fidejussor evaderet. Ita sunt feneratoris leges. Nihil interest inter fœnus & funus; nihil inter mortem & sortem. Jussi lavari corpus & ad feneratoris domum exequiarum ordinem duci. Victus religionis consuetudine feneratorum rogat, ut ad tumuli locum reliquæ deferantur. Primus Justinus defunctorum corpus aut reliquias ab injuriis creditorum vindicavit L. 6. C. de Sepulch. viol. constitutâ poenâ quinquaginta librarum auri, adversus eum, qui prætextu debiti sepulturam defuncti impedire conabatur, vel si minus idoneus ad eas persolvendas esset, suo corpore sub competente Judice lueret poenas. Addidit Justinianus præter crediti jacturam & ut tantundem heredibus solvant, quantum debitum fuit, tertiæ partis bonorum multam & infamiam. *Authent. item qui domum. ibid. Nov. 60. c. 1. Nov. 115. c. 5. §. 1.* Tantum ergo abest, ut veteri jure & Ulpiani temporibus prohibitum fuerit corpora defunctorum ob æs alienum detinere ut & pignori dari licuisse ex Scævola Responsio in L. pater filiam. 38. §. Julius 4. ff. de Leg. 3. relato colligere liceat, & adversus eum demum, qui corpus defuncti per injuriam, cum jus crediti non haberet, detinuisset, injuriarum actio fuerit prodita L. 1. §. denique 6. ff. de injuriis. Rectius ergo Ulpianus de iis, qui detinent funus, quo minus ducatur, aut spoliant, aut contrectant, L. 3. §. 5. L. f. ff. L. 4. & ult. C. de Sepulch. viol. L. 5. ff. ad L. Jul. de vi publ. intelligitur. Ant. Matthæus de lib. 47. tit. 6. c. 1. n. 2.

VIA PUBLICA TRANSFERRENTUR.) Idem in sequentibus per territoria oppidorum transferri, per vicos aut oppidum transvehi dicit. Via est portio territorii ad directum, certis finibus latitudinis, ab eo, qui jus publicandi habuit, ut eâ publice iretur, commearetur relicta. L. 2. §. 21. ne quid in loc. publ. vel itin. fiat. Seu planius: quicquid ex universitate agrorum relictum est, eum in finem ut iretur in eo publicè & commearetur, id viæ nomine venit. Sunt autem viæ publicæ vel privatæ; Publicas liberâ Republicâ Pratorias vel consulares, post eam ab Augustis occupatam, basilicas & Regias appellarunt. d. L. 2. §. 22. aliquando etiam militares, L. 3. ff. de loc. & itin. publ. Privatæ aliâs agrariæ dicuntur, quæ per fundum

dum fervientem ad alterius fundum ducunt: Itemque & illa quas quisque in tuo fundo sui usus gratia facit, aut quæ ex viâ consulari in privatum fundum ducunt. Ab his separantur viæ vicinales, quæ tamen & ipsæ privatæ sunt, cum ex agris privatorum constitui soleant & publicarum numero tunc demum sunt, quando earum memoria non extat *L. 3. ff. de loc. & itin. publ.* Dividuntur porro & viæ publicæ in rusticas, quæ passim in legibus itinera appellari solent. *L. 1. ff. de loc. & itin. publ. L. 1. ff. de viâ & itin. public. reffic.* & urbanas, quibus per ipsas urbes intermedias itur, de quibus Ulpianus, quando de vecturâ defunctorum per vicos & oppida loquitur, intelligendus, quæ viæ, quamvis non ita immediate ad curam Principis & ejus, qui supremus est in territorio, spectent, ut spectant viæ rusticae sive militares, quæ exitum in urbes habere dicuntur *L. 3. §. 1. ff. de loc. & itin. publ.* hoc est per eas non continuantur, (quemadmodum non continuantur per flumen navigabile, nisi super ponte constructo) ad res tamen quæ sunt universitatis referuntur. Wesenbec. *Consil. XXXIII. n. 54. sqq.* Schneidew. *Epit. Feud. p. 190.* Add. Ziegler. de Jure Majest. *lib. 2. c. 17. §. 6.*

PRÆSIDIS PROVINCIÆ OFFICIUM EST.) In textibus Codicis Principi hoc adscribitur, verbis: *Inconsulto Principe, sine assatibus Principum.* Primum quidem, quæ ad sepulcrorum jura pertinebant, de iis Pontificum erat cognitio, Cic. *lib. 2. de Legib. Dio. lib. 48.* Postquam vero Augustus Cæsar Pontificatum Maximum Imperio junxit, ejusque exemplum reliqui Imperatores secuti sunt, pontificalis hæc cognitio quoque ad Principes, qui sub Imperatoris nomine rei Romanæ præfuerunt, simul transit. Joh. Andr. Bofius de *Pontif. maxim. Imp. Rom.* Unde non semel etiam ab Ictis hæc duo conjunguntur, ut in *L. 8. ff. de Relig. & sumt. Fun. L. 50. §. 1. ff. de hered. pet. Mornac. ad L. 14. C. de Relig.* Postea Principes Præsidibus Provinciarum hæc potestatem delegarunt, qui omnium Magistratum, qui Romæ erant, viceungebantur & ad eos post Principem cura pertinebat rerum omnium, quæ in Provinciâ expediebantur. *L. 3. 4. 10. sqq. ff. de Offic. præsid.* Et hinc modo sine Augusti assatibus, modo sine decreto Pontificum aut Magistratum in Provinciis jussu ac permissione non transferri corpora defunctorum dicuntur. Guther. de Jure Man. *P. 3. c. 23. p. 536.*

NON

NON PERPETUAE SEPULTURAE TRADITA CORPORA.) Sæpius ad tempus deponi solita ap. Romanos fuisse mortuorum corpora, quoad iustæ sepulturæ traderentur, tum hic, tum Pauli locus indicat in *L. 40. ff. de Relig. Si quis eo animo corpus intulerit, quod cogitaret, inde alio postea transferre, magisque temporis gratia, deponere, quam quod ibi sepeliret mortuum & quasi æternæ sedi dare destina-verit, manebit locus profanus.* Pertinet huc *L. 14. §. 4. d. t.* in quâ inter alia id quoque ad sumtus funeris refertur, si quid ad corpus *custodiendum vel commendandum* factum sit, ubi Ant. Faber in *Rationalibus commendandum* id est *deponendum* explicat, *quoad iuste sepultura tradatur, cum commendare sit deponere, L. 24. 26. ff. depositi*, quomodo & in Basilicis redditum, καὶ τὸ ἐπιθῆναι αὐτῷ: Et hanc interpretationem Cujacius quoque approbat, *L. II. Obscu. §. 2. Obs. 17.* & tum illi, quæ pro commendandum *commundandum*, quod pollinctorum erat, de qua vid. *Wissenb. in not. Nomico. Philolog. ad Pass. Christi p. 3.* tum isti, quæ de laudationibus funebribus, de quibus *Asin. ad L. 12. §. 4. ff. de Relig. n. 72. sqq.* Jac. Guther. de *Jure Man. l. 1. cap. 25.* Kirchmann. de *Funer. Rom. lib. 2. c. 8.* textum accipit, præfert, neque enim istis corpus seu cadaver mortui, sed vir jam ante defunctus commendatur: Sic in veteri quodam libello, dato Severo Imp. *cum corpora eorum, fictili sarcophago commenda-verim.* &c. & in testamento Geruntii, *Simplici sepulcro conditus vel potius commendatus*, legitur. *fac. L. 40. ff. cod. tit. add. Franzk. ad ff. d. tit. n. 21.*

PER TERRITORIA OPPIDORUM.) Territoria oppidorum hæc vias non urbanas & quæ per urbes stratae sunt, sed rusticas & quæ extra urbes sunt & de urbe ad urbem ducunt quidem, sed circa illas desinunt, significant. Quod etiam verba sequentia innuunt, quibus notatur factum eorum, qui sine permissu per ipsos vicos vel oppida corpus in itinere defuncti transvexerant. Non enim in urbes ferri licuisse funera aliò transportanda ex *Sozomeno* annotavit *Kirchm. de Funer. Rom. l. 3. cap. 25.* qui *Amelii reliquias*, cum *Antiochiam* deportarentur, per totam viam jussu Principis intra moenia civitatum receptas fuisse contra mores Romanorum scribit *l. 7. cap. 10.* Et inde non vulgare genus honoris delatum *Augusto, Suetonius in vita ejus refert*, cujus corpus decuriones municipio-

rum

rum & coloniarum a Nolâ Bovillas usque deportantur noctibus propter anni tempus cum interdiu in Basilicâ cujusque oppidi, vel in ædium sacrarum maximâ deponeretur.

NULLAM POENAM MERUISSE EOS.) Loquitur de licita hic transportatione Jctus, quæ non salutatis his, quibus permittendi jus est, fiebat, quam impunem quidem pronunciat, sed minus tamen benefactam. Ant. Faber in Rational. ad b. L. 3. §. 4. legem hanc ad eas refert, quas Ulpian. in *Fragm. Tit. 1. §. quæ prohibet*. Imperfectas dicit, quæ vetabant quid fieri, aut nulla deviantibus poena sanciebatur, dicente Macrobius. in *Sonn. Scip. cap. 17.* Unde Accursius, non esse novum ut impune quid fiat, quod nullo jure factum est fierique non debuit, notat ex *L. 12. ff. de Usufr. leg.* Pertinet huc *L. 14. §. 14. ff. de Relig.* ubi D. Marcus rescriptit, *cum heradem, qui prohibet, funerari ab eo, quem testator elegit, non recte facere, poenam tamen in eum statutam non esse.* Nimirum sicut perjurii poena nulla Jure Civili statuta dicitur, *L. 2. C. de Jurejur. ordinaria* nempe, certa & definita, aut quæ legis Julæ Majestatis est, quoniam vindicetur extra ordinem, aliâs infamiam notâ, aliâs dignitatis spoliatione, aliâs ictu fustium, Wissemb. *p. 1. ad ff. Disp. 13. tb. 38.* Anth. Matthæi de Crim. *l. 47. tit. ult.* Brunnem. ad *d. l. 2. n. 11. seqq.* ita hic nullam poenam mereri dicitur sine permisso eorum, quibus permittendi jus est, per vicos & oppida funus ducens, sc. ordinariam, aut non incidere in poenam sepulcri violari. Anth. Matth. de Crimin. *lib. 47. Tit. 6. n. 5.* Frantzk. ad *§. 7. de rer. divis. n. 7.* sicut tamen ille injuriarum actione tenetur *L. 8. pr. ff. de Relig.* ita etiam contra faciens officio Magistratus extra ordinem puniri potest. vid. Alex. Trentac. *Lib. 1. Resol. 1. n. fin.* aliâs frustra transvectiones funerum sine permisso eorum, quibus permittendi jus est, fieri non debere, D. Marcus rescripsisset. Unde de Jure Fori hodierni, quo etiam invito Magistratu funera transferre non licet, vix ab extraordinariâ poenâ, immunem fore transgressorem DD. statuunt. vid. Casp. Klock. *Tom. 1. Consil. X. n. 477.* Hahn. ad Wesenbec. *tit. ff. de Relig. n. 5.* add. Elbert. Leonin. *lib. 3. Emendat. cap. 10. n. 3.*

POENA ETIAM POST MORTEM MANET.) Dura hæc Jcti videri poterat sententia, cum tamen mors, secundum Senecam ad *Marc. 6. 20. Servitutem invito Domino remittat, captivorum catenas levet,*

C

2 CAT

è carcere educat, quos eximere Imperium impotens vetuerat: & in Nov. 22. c. 20. pr. *Mors omnia solvere tradatur*, & in L. 6. ff. de Publ. judic. *Crimen & penam extinguere*, & commune JGtorum dictum sit, quod per mortem reus eximatur Foro Judicis & efficiatur de Foro Dei. Seb. Medices in *Tract. Mors omnia solvit. P. 2. concl. 2. & 32.* Enim vero ista de casibus loquuntur ordinariis, ut interim exceptionibus locum suum relinquunt, quibus efficiatur, ne dici possit, semper & indistinctè mortem corpus à Jurisdictione eximere, unde apud Tacitum lib. 16. *Annal. cap. 11. n. 5.* legimus *accusatos post sepulturam decretumque, ut more majorum punirentur. add. L. 11. ad. L. Jul. majest.* Carpz. *Pract. Crimin. P. 3. q. 141. n. 5.* Berlich. *P. 4. concl. 5. n. 99.* Qua de re infra plura fortassis in Cap. 4. dicemus.

CAP. III.

De

LICITA TRANSPORTATIONE DEFUNCTORUM.

§. I.

Diximus in præcedente Capite, transportationem defunctorum aliam licitam esse, aliam illicitam, secundum quam distinctionem jus, quod circa illam sive constitutum sive receptum moribus est, considerandum se nobis nunc sistit. Quamquam enim naturaliter loca omnia, publica maxime, quibusvis innoxie transeuntibus, quod in præcedentibus jam monuimus, sint libera; L. 2. §. 5. ff. de aqv. & aqv. plu. arcend. L. 24. pr. ff. de damn. infecto. L. 2. §. 21. ff. ne quid in loc. publ. Dn. Parens Ahasv. Fritsch, Tr. de Regali viar. public. Jur. Cap. 5. n. 3. seqq. Ast sicut plerumque fieri solet, ita & hic frequens libertatis abusus, principibus & cæteris, qui *το υέρον* habent in Rep. ansam dedit, libertatem isthanc intra suos limites restringendi, ita, ut quod antea pro lubitu quis usurpare poterat, ad hodie non nisi permittente superiore ad usus suos vocare ipsi sit integrum. Phil. Alb. Orth. de Jure Conducendi cap. 8. Ahasv. Fritsch. d. Tr. cap. 3. n. 1. seqq. Idem & in transportatione mortuorum de loco ad locum evenit, quæ si ita promiscue mansisset libera,

bera, suppressendis caedibus aliisque machinationibus, quas tamen non ignorari & debitis poenis coerceri Magistratus & boni publici interest, contagiosos etiam aliquando morbos in urbem aut provinciam invehendi facillime dari posset occasio; adeoque non nisi Principis aut ejus, cui cura ista demandata est, consensu & permisso, transitus concedendus fuit, certaque praescriptae Regulae, ad quarum ductum aliis tanquam licita permitti debeat, aliis ut illicita recte denegari possit, nisi pro ratione circumstantiarum in hac aliquando etiam dispensetur, de qua in sequenti capite quarto.

II. Et ergo illa nobis licita est transportatio, quam leges debito modo petitam permittunt. Ubi quidem ad duo attendendum nobis est, tum ad corpora secundum legum permissionem transportanda, tum ad modum & qua ratione eadem fieri debeat. Quamquam enim funerum transportationem permiserint leges, non aliter tamen, quam salutatis his, quorum desuper cognitio est, integrum hoc esse voluerunt, ut scilicet illi, an de genere licitarum sit, quae petitur translatio, decernere possint.

III. Quod ad prius, illos nimirum attinet, de quorum corporibus per alienas urbes aut territoria transportandis agitur, vel terrae adhuc commendanda, vel jam sepulturae, non tamen perpetuae tradita, aliorum transferenda sunt horum corpora, cujus utriusque casus *L. 3. §. 4. ff. de Sepulc. violat.* aliaque leges superius in hac materiae recitatae, mentionem faciunt.

IV. Illi vel peregre v. g. in itinere, bello, &c. vel in patria aut domicilio suo decesserunt: de his qui peregre & in itinere mortui in rescripto D. Marci sermo est, quod allegat Ulpianus in *d. L. 3. §. 4.* quando, qui corpus in itinere defuncti per vicos & oppida transvexerant, nullam poenam meruisse, dicuntur. Quod idem Titia ab heredibus in *L. 30. §. 2. de adim. leg.* petierat, ut si in Provincia siue in via decessisset, sexaginta Lucio Titio darentur, ut is corpus ejus curaret in patriam & monumentum filiorum suorum reportari. Et de his quidem transportandis frequentior se offert occasio, quam illis, qui in patrio solo, aut ubi ordinariè degunt, decedunt, ubi tamen & aliquando contingit, ut & hi in patrium monumentum, vel locum, quem vivi sibi destinaverunt, aut quo majores sui, conjux, liberi, aliive cognati sepulti, extra ta-

men patriam domiciliumque constitutum, condi exoptent istamque curam heredibus demandent.

V. Sicut enim apud Romanos, non singulis saltem personis, verum toti quoque familiae heredibusque sepulturae constituebantur, ita jure etiam Canonico moribusque hodiernis, ubi in locis, publicâ autoritate, à Magistratu Ecclesiastico & eo, qui jus patronatus habet, Carpzov. Jurisprud. Consistor. lib. 2. def. 387. ad id destinatis, in coemeteriis nempe publicis, aut pro ratione personarum templis quoque & eorum aditu mortuorum corpora sepeliuntur, certis familiis quandoque & hereditaria sepulcra assignari solent, Carpzov. d. l. def. 391. Unde inter sepulcra *familiaria*, quæ sibi & familiae suæ, & *hereditaria*, quæ sibi quis heredibusque suis L. 5. 6. pr. L. 10. ff. de Relig. constituit, obiter hic observanda differentia: In illa omnes, tam testamentarii, quam legitimi heredes, non primi tantum, sed & ulteriores L. 6. ff. de Relig. ex quacunque portione tales sint imò licet ut indignis ablata fuerit hereditas L. 33. ff. eod. aut eandem vendiderint, arg. L. 88. ff. de heredib. instit. Sigism. Finckelth. de Jure Sepultur. Concl. 6. lit. D. aut fidei commissarii restituerint, §. 3. f. de Fidei cohered. L. 42. §. 1. L. 55. §. 3. ad. Sc. Trebell. Finckelth. d. l. concl. 17. aut liberi sui æque ac emancipati abstinerint hereditate delata. d. L. 6. (quod secus est in extraneis, Finckelth. d. l. concl. 6. lit. B.) in *familiaria*, præter hæcenus recensitos, reliqui etiam, de familia acqvirentis existentes inferuntur, licet heredes non sint, L. 5. ff. L. 13. C. de Relig. ut sunt exheredati, nisi à testatore specialiter prohibiti, d. L. 6. non cognati in specie sic dicti, & affines, nisi heredes instituti, L. 3. C. d. r. ibique Mornac. bene tamen gener & nurus per L. ult. C. de V. S.

VI. Facilis hinc decisio quæstionis est: *An testator per ultimam voluntatem heredi transportationem funeris sui inungere possit & an voluntas hæc jure subsistat, servarique debeat?* Nempe cum ex his, quæ hæcenus de familiaribus hereditariisque sepulcris dicta sunt, facile constet, quam æqua sit testatoris, tale quid postulantis voluntas, nec legibus repugnet, etiam extra locum, quo mortuus quis est, sepeliri, desiderio testatoris, maxime si eo nomine legatum relictum, sub istius privationis poenâ satisfaciendum heredi aut legatario est, cum & aliàs nihil sit, quod hominibus magis debeat

debeatur, quam ut supremæ cujusque voluntatis, postquam aliud velle non potest, liber sit stylus, & licitum quod iterum non reddit arbitrium, *L. 1. C. de SS. Ecclef. Nov. 1. c. 1. §. 2. & ult.* Liberum enim etiam jure Canonico est cuivis, ut vivus possit eligere, ubi post mortem suam sepeliri velit, etiamsi in alterius parochiæ cœmiterio sepulchrum eligat. *c. 1. 3. 4. 10. X. de Sepult. Perez. de Relig. & S. F. n. 8. Guther. de Jure Man. lib. 3. c. 23. p. 537.* modo non eligatur locus plane insolitus & honestati Christianæ minime conveniens, Dn. Ziegler. ad Lancell. Inst. Jur. Can. lib. 2. tit. 24. §. 2. p. 575. quo casu impune non parebit heres, qui & alias turpi & derisorie conditioni, institutioni aut legato adscriptæ, morem gerere obstrictus haud est, & ineptas voluntates defunctorum circa sepulturas non valere Papinianus scripsit. *L. 113. §. 5. de Leg. 1.* & Modestinus in *L. 27. ff. de condit. instit.* laudandum magis quam accusandam heredem putat, qui reliquias testatoris non in mare, secundum ejus voluntatem, abjecit, sed memoriæ humanæ conditionis sepulturæ tradidit: Et Paulus de Castro *ad d. L.* quando Ludovici Cortusii Jcti Patavini testamenti, in quo de Sepulturâ suâ nuptialibus & nescio quibus aliis ludicis ceremoniis peragendâ disposuerat, mentionem injicit, illud tanquam hominis non sanæ mentis indubium vocat. Finckelthaus de Jure Sepult. *concl. 31.*

VII. Porro ipsa aliquando necessitas nullâ hominis dispositione accedente transportationem mortuorum imperat. Si enim cum Ecclesiâ aliquâ pactum de recipiendis certæ alicujus Parochiæ personis sit initum, de cujus validitate Finckelthausius *Diff. de Jure Sepult. concl. 12.* differit, aut prout passim, in pagis præsertim, introductum est, ut singuli pagi & communitates suas peculiarias ædes sacras & juxta eas publica sepulcra & cœmitetia non habeant, sed inter has aliasque vel conventionem vel longo usu consuetudineque introductum sit, ut in alterius pagi templo conveniant omnes, ibi sacra audiant, adulti confiteantur peccata, absolvantur & Sacra Synaxi junctim intersint, recens nati sancto abluantur Baptismate, & defuncti in cœmiterio prope illud templum constituto, rite componantur, quos Paroecianos, *Eingepfarrte* appellare solemus, tum sane, cum annexa isti templo cœmiterioque communitas nihil quicquam horum separatim institueret aut accipere

possit, destituta quippe templo apud se & juxta illud cœmeterio, in quibus res divinæ administrantur & defunctorum condantur cadavera, ut eò transportentur, ipsa necessitas dicitur. Dn. Joh. Phil. Slevogt, de Unione Eccles. *Diss. 3. Cap. 1. §. 10.*

IX. Feci superius & in bello occisorum mentionem; Sicut enim hostes sepulturâ privandi non sunt, partim humanitate, quam victor in barbarorum corporibus etiâ exercere debet, partim utilitate publicâ, quæ in genere sepeliri mortuos jubet, id svadente, ita repositibus ad transportationem sepulturæ gratiâ neganda non videtur. Gerh. Feltmann. de cadav. *inspic. cap. 18. n. 3.* Finkelth. de Jure Sep. *concl. 14.* Unde receptum est, ut si durante obsidione milites ab utraque parte cæsi campum operiant, factis induciis, per caduceatorem vel legatum, cujus vices hodierno more plerumque sustinere solent die Tambours Trommelschläger und Trompeter, ad transportationem & sepulturam interfectorum *Aci-Java* ab hostibus poscantur, & ab illis, nisi graves ob causas (v.g. ob jus talionis aut si hac occasione tempus lucrari intendat hostis, quo fractas rursus erigere vires possit) non facile denegantur. Andr. Qvenstedt de Jure Sepult. *cap. 2. p. 25.* An autem ob negatam sepulturam, bellum juste suscipi possit, quod vult Grotius *lib. 2. de J. B. & P. cap. 19. n. 5.* asserere non ausim, per ea quæ ad istum locum annotavit Dn. Ziegler, *p. 423. seqv.* Tangit ritum istum Virgil. *lib. XI. Æneid. v. 100. sqq.*

*Jamque Oratores adervant ex Urbe Latinâ
Velati ramis oleæ veniamque rogantes,
Corpora per campos ferro quæ cæsa jacebant,
Redderet & tumulo sineret succedere terræ,
Nullum cum victis certamen & æthere cassis.*

IX. Parem fortunam merentur, qui in publico loco occisi reperiuntur, aut ruri inopino forsan casu intereunt. Antiquissimis quidem temporibus cadaver humabatur, ubi erat inventum, & quidem Ebrai id ad decem præcepta Josuæ referebant, ut ex Jo. Seldeno *lib. 6. de J. N. & G. ad discipl. Ebr. cap. 2. in fin.* discimus, unde & hodieque cruces aliosque titulos iis locis, ubi cadaver occisi hominis repertum passim in viis & locis publicis cernere licet, de quib. Feltmann. *de Tr. cap. 17.* quin tamen & horum corpora, si petantur,

petantur, iustis funeribus prosequenda, amicis cognatisque concedenda sint, dubium mihi non est, Finck. *d. Dissert. Concl. 10.* De eo tamen hic dubitatum fuit, si quis ruri inopino interitu moriatur, an in Ecclesiâ ruri constitutâ, an potius in sua parochiali sit sepeliendus; & deciditur in *cap. 3. de Sepult. in 6.* quod si absque periculo, (belli videlicet, pestis & simili) defunctus inde valeat exportari, cum non in templo ruri posito, sed in suâ parochiali sepeliendum fore. Quæ autem Magistratus hic partes sint, paulo inferius dicitur.

X. De debitoribus in præcedente capite dixi, quod illi mortui jure hodierno sub poena amissi crediti, quinquaginta librarum auri fisco inferendarum, similis summæ hæredibus restituendæ, & sic hanc pendere non possint, corporali, itemque infamiæ à creditoribus suis arrestari non debeant, consequenter sub isto prætextu transportationis ad sepulturam jus illis negandum non sit, *L. 6. C. de sep. viol. Nov. 60. c. 1. & auth. item qui C. d. t.* Struv. Synt. Jur. Civ. Ex. 48. th. 88. & Exerc. 15. th. 83. Carpz. P. 1. Const. 30. def. 22. adeoque nec Clericis, quibus forte portio Canonica aut simile quid pro loco sepulturæ solvendum, sepulturam & translationem impedire fas est, per ea, quæ habet Speckhahn. *Cent. 1. quæst. 6. n. 1.* Quamquam autem ex practicis aliqui desuetudine juri scripto hic derogatum putent, de quibus vid. Feltn. de Cadav. in spic. *cap. 36. n. 3.* & inde arresta mortuorum velint defendere, sibi tamen de illâ nihil resciscere licuisse recte Mevius ait Tr. de Arrestis *cap. 8. n. 25. seqq.* nisi ex injuriis actibus consuetudinem arguere velimus, quæ etiam foret, iniqua tamen & publico noxi adeoque non attendenda existimari debet. Vid. Peck. de Jure Sistend. *cap. 8. n. 23.* Matth. Coler. de Process. Execut. P. 1. *cap. 6. n. 17.* sed limitari hanc sanctionem eo in casu posse putant, quo funus in alieno loco, ut sæpe fit, aliquandiu deponitur pro certo locario, donec sepultura fiat, cumque tum cesset prædictæ sanctionis ratio, nil vetare, detineri cadaver, donec pensio solvatur. Mev. de Arrest. *cap. 8.* Hahn ad Wesenbec. *ff. de Relig. n. 8. in f.*

XI. Hactenus de corporibus sepeliendis, quatenus licite transferri possint, dixisse sufficiat. Quod vero defunctos attinet alicui loco jam commendatos seu depositos, hos etiam licite transportati-

portationis objectum constituere superius, nixus auctoritate Ulpiani in *L. 3. §. 4.* ejusque parte priorē, asserui, ubi non perpetuæ sepulturæ tradita corpora transferri posse, Edicto Divi Severi contineri respondet. Sic Diocletianus & Maximianus in *L. 1. C. de Relig.* si nec dum perpetuæ sepulturæ traditum corpus est, translationem ejus facere, non prohiberis, Aquilianæ rescripserunt. Cum nempe variæ occurrere possint causæ, quo minus mortui corpus statim terræ mandari aut transportari ad sepulcrum, perpetuæ ejus quieti destinatum, possit, sed deponi in certo loco ad tempus aliquando soleat, inde postea, ubi commodum fuerit, efferendum, quod, quando fit auctoritate propriâ, violati quidem sepulcri nomine auferens non tenetur, cum sepulcri religione locus ille nondum fuerit affectus, salutato tamen Magistratu, cui permittendi jus, fieri hoc debet, & tum licita est asportatio, *L. 8. §. 40. ff. de Relig.*

XII. Et tantum de corporibus transportandis, quorum ut licita sit transportatio, modo & ratione legitimâ fiat, necesse est: Modus ille respicit partim terminum à quo, seu locum, ex quo funus deducitur, partim per quem, partim ad quem transfertur. Circa illum tum ad loci magistratum sive superiorum, tum deductionem ipsam respiciendum est.

XIII. Ut ergò licite transferri possit funus, ab eo cui permittendi jus est, licentia impetrari debet. *L. 3. §. 4. ff. de Sep. violat.* Publica enim funeris causa est, *L. 43. ff. de Relig.* & ipsa mortuorum cadavera religiosa reputantur, quæ à privatis sine cædis aut alterius improbæ machinationis suspitione attingi privato ausu & duci non debent, accedit, quod sicut cavendum est ei, cui boni publici cura incumbit, ne forte contagia invehantur simul & Reipublicæ cladem pestesque inferant, ita evenire hoc facile posset, si libera transportatio cujusvis relinqueretur arbitrio. vide Elbert. Leonin. *Lib. 3. Emendat. cap. 10. n. 3.* Hæc cura, sicut, ad Principes Romanos, in quos cum summo Imperio Pontificalia quoque jura translata erant, olim spectabat, ut supra in Cap. II. ex *L. 8. ff. de Relig.* aliisque ostensum, à quibus Provinciarum præsidibus, aliisque magistratibus demandatum istud munus postea est, ut circa sepulturas mortuorum & translationes quid publico expediat & ne quid Resp. damni inde pateretur, prospicerent, ita hodie sepulturæ ordinandæ jus & potestas ad Principes nostros juris

juris Episcopalis *Carpz. l. 1. def. Eccles. 10.* pertinet, qv̄i id per Con-
sistoria, ut alias res Ecclesiasticas, expediunt, & suo modo Magi-
stratum etiam secularis ordinarium, praesertim si jus Patronatus ha-
beat, quorum hic, qv̄od ad ipsam sepulturam & ad hanc specta-
ntem transportationem attinet, illud, si quid forte de ceremoniis aut
loco & jure sepulturae disponendum, ordinat, unde & sepulturae iju-
ra inter ea, qv̄ae fori mixti sunt, referuntur. *Carpzov. P. 2. Jpr.
Consist. Def. 386. & 387. n. 6. seqq.* Finckelt. de Jure Sepult. *Concl. 3.*
Schilter Inst. Jur. Can. *lib. 2. tit. 14. S. 1. & 5.* Atque adeo cum illis
transcundum non esse puto, qv̄i nullas hic Principis aut Magistratus
partes esse statuunt, sed transportationem mortuorum, quos aliàs li-
cite efferri fas est, non salutatis superioribus impune suscipi posse a-
junt, contra expressam legum dispositionem & fori receptum usum,
innixi auctoritate Cujacii ad *lib. 1. Pauli recept. sentent. cap. 21.* & Franz-
kii ad *S. 9. 7. de R. D. n. 7.* neque enim hoc sibi vult *L. 3. S. 4. ff. de
Sepul. viol.* ut supra Cap. II. dixi, qv̄ae sine permisso Magistratus tale
quid suscipi vetat nec impunem neglectam Magistratus auctoritatem
vult, sed à poena sepulcri violati transgressorem saltem liberat. Un-
de hodieque receptum moribus est, ut invito magistratu civili funera
transferre non liceat, & Hahn in not. ad *Wesemb. tit. de Reliq. n. 5.*
observat, quod si pater in locum habitationis ducere velit funus filii sui
aut cognati in alieno territorio mortui, illud liberè facere nequeat, nisi
inductus Magistratus ejus loci, & veniam impetret transportationis: quod
videtur, subjicit fundamentum habere in *L. 3. S. 4. de Sep. viol.* ubi di-
citur, quod transferens sine denunciatione poenam quidem non incurrit,
(scilicet in violatores sepulcrorum statutam) possit autem transporta-
tio prohiberi. Sed istas: Sic nullum discrimen fore inter funera lege
transportati licita & illicita, cum & haec Magistratu aliquando permit-
tente transportari possint, ut in sequenti capite dicetur. Respondeo
enim, hanc posse magistratum licite denegare, non aequè illam, quam
omnibus modis promovere & ne detineantur aut vexarentur, neque
prohiberentur, quo minus viâ publicâ transferantur, ejus officium est.
L. 38. ff. de Rel.

XIV. De occiso, aut quando corpus exanime repertum, de
quo suspicio esse potest, an veneno aut aliâ aliquâ ratione violentâ è
medio sublatum sit, quod antè deductionem Magistratus denuncian-

D

dum

rum veniaque discessus impetranda, minor dubitandi est ratio? Quandoquidem cum inquirere in crimen officio ejus & potestati, quæ ipsi, ut in facinorosos animadvertat, data est, incumbat, *arg. L. 13. ff. de Offic. Præf. L. 1. §. item illud ff. ad Scit. Silan.* ante omnia de corpore delicti, quod vocant, certum ipsum esse oportet, de quo cum non nisi inspecto prius secundum Nemesis Carolinae *Artic. 147. 149.* præscriptum, adhibitis hanc in rem Medicis aut in arte suâ peritis Chirurgis vulnere & de lethalitate ejus factâ renunciatione constare non possit, *Carpz. P. 1. Pract. Crimin. q. 26.* qui ante sectionem non impetratâ veniâ tale cadaver aufert, non tantum contra hæcenus memoratarum legum dispositionem peccat, sed jurisdictionis turbatæ etiam notam incurrit, cum primus Jurisdictionis Criminalis actus erectio sive sublatio cadaveris reputetur, *Jodoc. Damhoud. in Pract. Crimin. cap. 75. Carpzov. l. 2. Jpr. Eccles. def. 375. n. ult. Feltmann. de Cadav. in Spec. cap. 10.*

XV. Cæterum quam Besoldus in Thesauro Pract. verb. *Durchführung der Verstorbenen* etc. hic addit observationem, ut si in loco Pontificio Evangelicus moriatur aut occidatur, moris esse, ut aliter cadaver defuncti deduci non permittatur, nisi soluto nescio quo pretio & datis literis reversalibus sive à consanguineis defuncti, sive à Magistratu domicili, approbanda mihi non videtur, siquidem deductio funeris in se considerata, actus jurisdictionalis non est, ex quo quis aliquam hujus immutationem aut detractionem metuere necesse habeat, neque disparitas religionis aliquid ad rem facere potest, præsertim cum *Instrumento Pacis Osnabr. artic. 5. §. 12.* utriusque Religionis focii hæcenus in pari jure constituti æquali justitiâ protectioneque tuti, speciatim quoad jus & honorem sepulturæ & ne quid pro exhibitione funeris à superstitionibus exigatur. *Joh. Schilter in Prax. Jur. Rom. in For. Germ. Exerc. 21. th. 31. add. Gvil. Ignat. Schütz in Manuali Pacifico, quæst. 17. ad instrum. pac. artic. 5. §. 21. vers. libem. & vers. placuit porro.*

XVI. Circa deductionem ipsam ritus & ceremoniæ solennes, in elatione aliorum funerum receptæ, ut adhibeantur, nec opus est, nec semper usu servatum. Olim noctis tempore transportabantur funera, ubi circa primam corporis motionem sacrificia solennia reddebantur. *Cujac. lib. 21. Obs. 13.* cum interdu, quæ inibi sepelie-

peliebantur, efferrentur, *Paul. 1. sent. 21.* Hodie quando funera aliò deducuntur, modo ceremonia certè adhibentur, præcuntibus pueris hymnos concinentibus & loci pastoribus, sequentibus amicis, cognatis & exequiatoribus aliis, modo illis neglectis exportantur, quò tamen casu, ut Ecclesiæ Scholarumque Ministris, imò & pueris, qui pauperiores plerumque esse solent, aliisque piis causis, quæ ex deductionibus funerum emolumentum aliquid capiunt, munera solita exhibeantur, æquum esse existimo, ne commodo, quòd non concessã transportatione ex receptis funerum ceremoniis, latari erant, defraudentur, præsertim cum honoraria ista, seu, ut vocare solent, accidentalialia clericis in vicem & augmentum salarii, quòd in plerisque locis exiguum & rari alii reditus esse solent tum observantiã, tum lege publicã, concessã sint. *Vid. Ord. Elect. Sax. Eccles. art. gen. 26. §. 1001. Begrãbnissen. Carpov. lib. 1. 7. pr. Constit. Def. 12.* Unde Gerh. Feltmann Tr. de Cadav. inspiciendo *cap. 37. n. 3.* refert, permisã cognatis & heredibus, mortuum in alium locum transferendi potestate, ne pauperes loci inde defraudentur, quibus ab iis, qui funus secuti fuissent, elemosyna obvenisset, Grœningæ constitutum, ut is, qui mortuum alibi humare aut noctu sepelire vult, centum thaleros Hollandicos vel aliud quid ad pauperes alendos, usumque pium dare debeat *arg. c. 3. X. de Sepult.* Amstelodami vero tantum duos thaleros imperiales solvat ex Scto facto 1. Febr. 1667. Et hoc non tantum in perpetuis parochianis, seu iis, qui domicilium in parochiã, ex quã transportandi sunt, fixerunt, asserendum videtur, sed his etiam, qui ad tempus aliquod certè alicui parochiã se addixerunt, quos temporarios parochianorum appellant, quales v. g. studiosi sunt, in Academia studiorum gratiã commorantes, hi enim cum sacrorum quoque in loco, ubi degunt, sint participes, & sacerdotum ministerio ibi fruuntur, æquum est, ut, quando contigerit ibi eos fato suo fungi, ab amicis aut cognatis transportationem postulantis solita ista accidentalialia solvantur.

XVII. Locus, per quem defunctus deduci debet, regulariter debet esse publicus, cum clam ob allegatas in præcedentibus causas permitti transportatio non debeat, unde viarum publicarum, territorii, oppidorum *L. 38. ff. de Relig. L. 3. §. 4. ff. de sep. violat. mentionem faciunt.* Hinc quæritur: *Si transportantes funus, propter*

inundationem, hostilitatem aliamve justam causam viâ publicâ uti haud possint, an vicinos per agros aut fundos ipsi iter facere sit integrum? Licere id cum Ant. Perezio ad tit. C. de Relig. & sumt. fun. n. 4. s. putamus, tum ob necessitatem, quæ legem non habet, tum utilitatem publicam, ne si subsistendum interea cum funere esset in transportando eo occupatis, putridis & noxiis exhalationibus aër infectetur inficiaturque, tum arg. L. 12. pr. ff. d. 1. ubi Ulpianus respondit: Si nulla via sit ad sepulcrum, iter, quod non debetur, vicinus praesare cogitur, & si à vicino id prohibeatur, Imperator Antonius cum patre rescriptis, iter ad sepulcrum per precario & concedi solere, ut, quoties non debetur, impetretur ab eo, qui fundum adjunctum habet. Nec tamen hoc rescriptum, quod impetrandi dat facultatem, etiam civilem actionem inducit, sed extra ordinem vicinum interpellare permittit, quem Praeses compellere debet, ut justo pretio iter praestet: ita tamen ut de opportunitate loci prospiciat, ne vicinus magnum patiatur detrimentum, ad quem text. vid. Jac. Guther. de Jure Man. lib. 3. cap. 12. quod si sine damno vicini transiri possit, nil esse pro concessione viâ solvendum Perezio à contrario sensu colligit, praesertim cum quis teneatur permittere fieri illud, quod sibi non nocet & alteri prodest. L. 2. §. 5. ff. de aqv. & aqv. pluv. arc.

XIX. An. vero & hic licentiâ Magistratus illius loci per quem defunctus portatur, opus sit à disquiri inter Doctores video, quibusdam necessariam esse statuentibus, vid. Bechmann *in comment. ad ff. tit. de Mort. inf. n. 17* Casp. Klok. *Tom. 1. Consil. X. n. 477.* aliis nudam tantum denunciationem requirentibus, *Besold. thes. pract. verb. Durchführung der Bestorbenen* Franc. Marci *Part. 2. Decis. Delphin. 1084. n. 9. seqq.* Brunnem, *ad L. 3. ff. de Sepulc. viol. n. 3.* Petr. Greg. Tholosanus *lib. 2. Synt. Jur. univ. Tit. 14. n. 1.* Posteriori sententiæ merito subscribo, per text. *L. 3. §. 4. ff. de sep. viol. L. 8. ff. de Relig. maxime cum nemo impediendus sit, viâ publicâ uti & propter publicam utilitatem sepultura magis sit promovenda, quam impedienda. L. 43. d. 1. Koppen, decis. 28. n. 25. Gars. de Expens. cap. 8. n. 18. 25. seqq.* Phil. Albr. Orth. *de Jure Conducendi. cap. 4. in f. p. 164.* Unde nec hic reverfalibus literis opus esse, nec jure eas postulare Magistratum posse, existimo, cum nec actus jurisdictionalis sit, ut est in casu malsficii, quando captivus ducitur, *Schilt. Ex. 21. th. 31.* quam tamen & ipsam

& ipsam deductionem in censum actuum jurisdictionalium non referendam esse, laudatus modo Orthius *d. Tr. cap. 8. p. 268. seq.* statuit: cum jurisdicō in jure capiendi & de crimine cognoscendi ac statuendi, statutumque exequendi consistat, quod alter ducendo saltem suum captivum per alterius territorium nequaquam affectet, unde tandem requisitionem salvi conductus & exhibitionem reverfalium, quas vocant, non necessitatis sed urbanitatis esse concludit, cujus limites transiliat, qui in scio domino alterius terram jurisdictione munitam transire audeat, nec indicet, quā intentione id fiat, & ne præjudicium attrahere velit illi, quod ubi captivi deprehensio facta, forte ignorans, metuere poterat. Unde hoc ipso in casu Sereniss. Elect. Sax. in *Resolut. grav. Prov. Tit. von Justizen Cathen. §. 44.* solam denunciationem deductionis sufficere constituit.

XIX. Hanc in funeris deductione qui negligit, sicut per ea, quæ hæcenus diximus peccare & cadis atque improbæ machinationis suspicione se onerare Elbert. Leonin. *lib. 3. Emend. cap. 10.* asserit, ne sine doli præsumptione esse tradit Menoch. *lib. 5. Præsumt. 3. n. 107.* ita si legitime denunciatur, liber à Magistratu ipsi transitus cum funere absque legitimâ causa denegandus non est, qui & aliquando, ut libere possit duci cadaver, apparitorem addit, qui ab injuriâ teneatur & ne sistatur, curet, *L. 38. ff. de Relig.* Ex quo tamen non approbandum illorum factum, qui dum in terris peregrinis aut barbaris etiam versantur, quando suorum ibi defunctorum transportatio denegatur aut metus saltem recusationis subest, sub prætextu & professione mercium, quibus involvunt & compingunt cadaver, per loca illa deducunt, cujus rei exemplum relatam vide ap. Petrum della Valle *Reisb. beschreib. P. 3. Epist. 16. p. 161.* quod & sub certa cautione approbare videtur Gerh. Feltmann *de Cadav. inspic. cap. 39. n. 9. 10.* ubi exemplum refert, ejusdam è Germaniâ inferiore plumbo artissimè compacti in Angliam deportati. Neque enim injuria, si quam Magistratus per denegationem liberi transitus cum funere infert, à fraude transeuntem, quam hæc ratione committit, excusabit, neque tanta transportationis hic subest necessitas, cum humani ibi potuerit corpus, & forte subesse possunt causæ per tam longinquum iter denegatæ transportationis. Aliud de celebratis in Medicinâ munitis, quæ ex Africa etiamnum hodie in has oras devehuntur, de quibus vid. Schrö-

ter. in *Pharmacop. lib. 5. Cl. de Animal. p. 833. F. F. de Troilo in der Orientalischen Reisebeschreibung / Lib. 3. p. 309. Petr. della Valle Reisebeschreibung P. 2. Epist. 2. p. 104. seqv. dicendum, quæ, cum in commercio hodie sint cadavera torrida, & ut ferunt, per totum annos exsiccata, usumque in Medicinâ non exiguum præsentent, febricitantibus præsertim, cum bezoardico minerali aliisque præscripta multis feliciter referantur, quin tuto & licite cum aliis mercibus transportari possint, minime dubito, cum non cadaverum amplius humanorum, sed aliarum rerum in commercio existentium forte fruantur.*

XX. Sed & ille casus in disceptationem venit. Fecimus nimirum §. VII. parœcianorum mentionem, qui ut templi in loco alio siti utuntur sacris, ita communi etiam cum illâ communitate gaudent cœmeterio, hic si diversa Jurisdictionis pagi sint, aut oppida ita connexa, numne, quando parœciani funus ex unius, ut loquuntur, jurisdictione, in cœmeterium alterius jurisdictionis deducendum est, magistratui istius loci funeris deductio indicenda, veniaque impetranda erit? Regulariter id quidem negandum videtur, nec opus esse, ut singulis vicibus denunciatur & impetretur venia existimo, dum enim permittitur in unione, ut parœciani sub alieno magistratu civili degentibus commune cœmeterium præbeatur, deductio etiam funeris concessione quâdam generali, quâ dato aliquo jure, omnia quoque ea data intelliguntur, sine quibus uti eo non possumus *arg. L. 2. ff. de Jurisd. L. u. ff. commun. prædior.* tacite indulta creditur, & hæc ratione civilis Magistratus in quamcunque deductionem imposterum faciendam consensisse. Quod si tamen contrarium alicubi forte observari deprehendatur prohibitaque ductionis, usque dum speciatim eam indulserit Magistratus, extent exempla, mos & ibi receptus observandus veniet, præsumtio enim concessionis tacite contrariâ probatione eliditur. Exigere namque à ducturis, ut denuncient prius transvectionem, omnino à sepeliendi jure sejunctum & civilis Jurisdictionis tantum proprium est, cui præjudicare Magistratus Ecclesiasticus, qui in hanc juris sepeliendi communionem & societatem consensit, nequit. Licet enim Principis nomine admittat unionem quoad sacra ac cum eâ cœmeterii usum, non tamen sibi plus permittat, quam accepit à Principe, qui & ipse ut juri aliqua sito, ita nehuic pas-

sta

sim introducto circa funerum deductionem derogasse creditur: plurimum autem refert, ne quavis defunctorum transferantur cadavera, quæ etiamnum quantumvis generatim concessam coemiterium, arceudi potestas est, ubi publicæ rei grave inde periculum metuendum venit. conf. Slevogt. de Unione Eccles. Diff. 3. c. 1. §. 10.

XXI. Caterum & illud inter Doctores controversum est, an pro transportatione speciatim Magistratui, per cuius territorium transfertur mortuus, satisfaciendum & pensione aliquâ transitus emendus sit? Olim fuisse, qui vestigal pro corporibus translati exigent, colligere inter alia ex proverbio isto quodammodo licet: *ναὶ δὲν πωγῆ Φέγετ*, quod legitur apud Aristot. lib. 3. Rhet. Quamquam & de iis intelligi possit, qui mortuos vendebant, quod Achillem fecisse notat Virgil. 1. Æneid. v. 488.

Exanimumque auro corpus vendebat Achilles.

Inde *νεκρῶν πωγῆ* à Licrophronite appellatur, i. e. mortuorum venditor. Et Cicero Verri hoc crimen objicit *Orat. VII.* quod cum in Sicilia multos occidisset, cadavera non nisi accepto precio patribus & cognatis ad sepulturam redderet: quod & de Commodo Antonini fratre narrat Lampridius. Potissimum autem allegatur *L. 37. pr. ff. de Relig.* ubi Jctus Macer, vel secundum nonnulla exemplaria, Marcianus, inter funeris sumtus pertinere ait, *& si quæ vestigalia sunt.* Pro quibus Elbert, Leoninus *lib. 3. Emend. c. 10.* fultus libri Notici & quarundam editionum vulgarium fide, *vestiaria* legit, id est vestitus sive vestimenta, vestiendi tegendique ac ornandi defuncti causâ comparata. *L. 4. 6. ff. de Alim. & cib. leg.* Cujacius tamen, qui alias hauraro textibus vim inferre non veretur, nihil hic mutandum existimat. *Lib. 5. Obs. ult.* quem sequitur Godofred. *in not. margin. ad d. L. 14. lit. Q.* & intelligere Jctum putat vestigalia, quæ in itinere præstantur, dum corpus ex uno loco in alium transfertur, proque stabiliendâ istâ lectione, tum Pandectarum Florentinarum lectionem, tum græcam Basilicorū versionem allegat, *νεκρῶν πωγῆ* legentem, quos ipsos libros Basilicorū & ad emendandum & ad illustrandum, & interpretandum Jus civile plurimum valere, ipse fatetur Leoninus, additque credendum esse, illos ex optimis exemplaribus LL. Romanorum in Græcum sermonem translatos, & ex collatione eorum, multas maculas elui, & varios errores tolli posse, qui

qui ex diuturnitate temporis in libros, quibus nunc utimur, irre-
pserunt. Quicquid ejus sit, sequentibus temporibus aliud placuit,
& in Constitutione, quæ est *L. ult. C. de Rel.* quamque Cujacius *II. Observ. 21.* primus ex libris Basilinensium restituit, interdictum est, ne ullo
quopiam in loco vectigal ab ullâ aliquâ personâ pro corporibus ex uno
loco in alium translatis præstetur. Pro quo non parum facit, quod
generaliter in *L. 38. de Relig.* sancitum est, ne corpora aut ossa mor-
tutorum detinerentur aut vexarentur, neve prohiberentur, quo minus
viâ publicâ transferrentur. Phil. Albr. Orth. de Jure Conduc. *cap. 4. p. 164. & cap. 5. p. 172. 173.* Nihilominus tamen & si longo usu & con-
suetudine tale quid introductum sit, pro transitu modicum quid exi-
gi posse nonnulli adstruunt, & Georg. Mundius à Rodach de Muner.
& honor. *cap. 5. n. 196.* ejus mentionem facit, dicitque ait den Esdten
Doll / & Joh. Phil. Slevogt, de unione Eccles. *Diff. 3. cap. 1. §. 10 p. 137.*
mentionem facit consuetudinis, quâ transvectionis nomine pretii
quid exsolvatur magistratui & levi pensione transitus ematur. Sic in
Italiâ solvi hac tempestate vectigal pro cadavere, quod per alios fines
deportatur, ex fastis hebdomatalibus annotat Feltmann de cadav.
inspic. cap. 39. n. 11.

XXII. Hinc etiam quæritur, num pastoribus & Parochis, sive
pagorum sive vicorum, per quos ad locum sepulture mortuus ducitur, il-
lum ssepere permittum sit, donec munusculum aliquod datum fuerit? Sa-
ne Cyprian. Regnerus ab Oosterga in *Censurâ Belgicâ ad ff. L. 3 de
Sep. viol.* refert, in Hollandâ cuilibet territorio vel templo in quoli-
bet vico extracto, per quem cadaver transfertur, deberi sua jura,
vulgo *Serechtigkeiten* / quæ autem sint illa jura non refert. Ego e-
quidem de jure nil illis deberi existimo, cessat enim hic ratio funera-
lium, quæ solum domicilium laboresque Pastorum propriorum &
administrationem Sacramentorum respicit, de quâ Doctores *ad Cap.
1. X. de Sepult.* & quamvis olim frequenter Parochis ex heredum libe-
ralitate quid obyenerit eâ lege, ut dum prætervehebatur funus, illi
sacra facerent & pro mortuis ex more Pontificiæ Religionis orarent, ut
testatur Pekius *de Jure sstendi cap. 5. n. 23.* more tamen hoc sublato,
cum voluntate merâ hoc fuerit factum, ad necessitatem aut jus trahi
non debuit. Ventilatam aliquando in supremo Belgii Hispanici juris
tribunali hanc controversiam Paulus Christianus *Vol. 5. Decis. 119.*

n. 26. refert, cum vidua cujusdam Consilarii Parlamenti Mechliniæ, mariti corpus Mechliniâ Gandavum ad locum sepelitionis deferri curaret, ipsamque ab hoc onere liberam pronunciatam fuisse, cum, quod ad ista attinet, locus, ad quem tenditur, non per quem quis transit aut casu in eo est, respiciatur. Hinc in locis Germaniæ inferioris, in quibus cultus Pontificus viget, sæpe hæcenus laudatus Feltmann *d. rr. cap. 38. inf.* refert receptum esse, ut ad conspectum cadaveris, quod per eum locum ducitur, pulset campanam ædituus, cui ideo sexta decima parthaleri Imperialis & in usum templi cereus ejusque pretium detur à volentibus eumque cultum professis. Planè si vel pacto vel consuetudine receptum sit, ut certæ solennitates, circa deductionem mortuorum, præsertim honoratorum, per loca aliqua de suis sedibus ad sepulcra hereditaria deducendorum observentur, si *v. c.* pulsa campanarum, comitatu Parochorum, tyronum hymnos cantionesque funebres concinentium, similibusque defunctus honoretur, putarem, quod alias occasione funeris solvi solet, illis non invidendum esse.

XXIII. Quod denique terminum ad quem, seu locum, in quem transportandum funus est, attinet, cum boni publici intersit, ne quavis promiscuè funera alicubi inferantur, & aliquando contingere possit, ut propter contagiosos morbos aliasque justas causas Domino jurisdictionali arceri jus sit, & hic quoque denunciatio magistratui loci, ut fiat, necesse est: quod tamen à parœcianis aliunde mortuum in commune cœmeterium transportantibus, nisi consuetudine, de quâ præc. §. XX. aliud introductum, ita rigorosè fortè, nisi circumstantia temporis, defunctorum, & similes aliud svadeant, non exigendum, ob generalem eò transferendi concessionem tum temporis factam, cum Ecclesia hæc cum istâ parochiâ uniretur. Id unicum hic addendum est, cum olim inter parœcianos ejusmodi & pastorem Ecclesiæ, pro exiguo honorario, quod sæpe in pagis pro comitatu funeris constitutum est, illum à loco, unde effertur defunctus, ad cœmeterium usque denegantibus, non raro orientur controversiæ, constitutum in Ordinat. Eccles. Elect. Sax. est, non obligatum esse pastorem ultra tertiam domum obviam ire funus ducentibus, nisi specialiter inter eos aliter fuerit conventum, & lautius

eo nomine honorarium oblatum. artic. general. 15. in fin. verb. Wenn
aus denen eingepfarrten Dörffern Leichen gebracht / wie ferne der
Pfarrer denenselben entgegen gehen soll. add. Decret. Synodal. S. 44.

CAP. IV.

De

ILLICITA TRANSPORTATIONE DEFUNCTORUM.

§. I.

Illicita transportatio est, quam leges prohibent. Idque regulariter,
nam certis ex causis & circumstantiis potest etiam fieri, ut permit-
tur translatio, quæ ordinariè erat prohibita, quæ ipsa tamen limitatio
& exceptio non tollit regulam, sed eam potius confirmat in casibus
non exceptis, arg. L. 1. ff. de R. J.

II. Ad hanc primo loco eam refero, quando corpora per-
petuæ sepulturæ tradita aliorsum transportanda effodiuntur, id quod
sub pœna sepulcri violati prohibitum. Unde Constantinus Impera-
tor in L. 4. C. de Sep. viol. sepulcra domos appellat mortuorum, ita,
ut sicut domus tutissimum cuique præstat refugium, & inde in jus tra-
cto vis facta olim videbatur, L. 18. L. 21. ff. de in jus voc. L. 103. ff. de
R. J. Ita multo magis honestatis Regulæ conforme creditum, ex se-
pulcero tanquam domo suâ & dormitorio quem extrahere, quod &
Divi fratres Edicto suo admonerunt, ne iusta sepulturæ traditum, i. e.
terra conditum corpus inquietetur, L. 39. ff. de Relig. videtur autem
terra conditum, inquit ibi Marcianus, & si in arculâ conditum hoc
animo sit, ut non alibi transferatur. Unde nonnullis monumentis
inscripta leguntur verba: PERPETUÆ SECURITATI. vid.
Marc. Weller. in Inscript. August. & Paulus Jctus in L. 40. ff. eod. æ-
ternam sedem vocat hujusmodi sepulcra, & in quibusdam vetustis
lapidibus DOMUS ÆTERNA dicitur, Radulph. Forner. lib. 3. rer.
quor. cap. 6. Atque hinc seditio olim narratur orta, quod Mace-
donius

donius Arrianus in vitâ magnâ parte populi propriâ autoritate ar-
cam, in qua continebantur ossa Constantini Magni, de domo, in quâ e-
rat, in Ecclesiam transtulerat, quam rem indigne etiam tulit Con-
stantinus Imperator, tamen ipse quoque esset Arrianus, tum quod
in eâ seditione multi occubuerant, tum quia Macedonius corpus ejus
absque ipsius consilio transferre ausus fuerat. Socrates *lib. 5. Histor.*
Tripart. cap. 32. P. Gregor. Tholof. in *Synt. Jur. univers. lib. 2. cap. 14.*
n. 2. Summo è contrario præconio digna est Caroli V. religiosa pie-
tas, qui anno 1547. in bello Smalcaldico Wittebergam ingressus An-
tonii Episcopi Atrebatensis postulato, ad exemplum Martini Buceri,
Pauli Fagii, Joh. Wicklesi, B. Lutheri corpus effodi & comburi pe-
tentis annuere reculavit. Xenoc. in *vitâ Caroli V. Wolff. cent. 16. Me-*
morabil. lect. p. 666. vid. Qvensted *de Sepult. vet. p. 64.* Patet hic, quid
de eo casu sentiendum, quod testator testamento præcipit, ut heres
cadaver ejus post annum elapsum in aliud sepulcrum transferri cura-
ret, idque, nisi fecerit, hæreditate careret; & quanquam huic dispo-
sitioni parendum esse ab herede, statuat Erasmi Ungebaur *ad Decret.*
tit. de Sepult. n. 11. & Didac. Spin. à Caceres in *Spec. rest. gloss. 2. n. 8.*
seqq. levitatis tamen id gerere speciem atque hinc ut bonis moribus ad-
verbum minime probandum affirmat Dn. Ziegler ad Lancell. *Tit. de Se-*
pult. S. 2.

III. Quod si vis fluminis, metus ruinæ, aliave justa cau-
sa suboriat, ob quam tolli è loco cadaver & in alium locum trans-
portari æquum visum fuerit, exultatione Rectoris Provinciae, trans-
ferri posse rescripsit Antonius in *L. 1. C. de Relig.* cum quo convenit.
L. 14. C. eod. nemo humatum corpus ad alium locum sine assensibus
Principis transferat. Nam quod in urbe & Italia ipsi concedebant
Principes, in Provinciis mittebant iis, quos ad eas regendas mi-
serant. Talis autem justa effossionis causa non est, si in alieno terri-
torio, occisum aut in aquis suffocatum quis in proprio suo terri-
torio sepeliverit. Licet enim illius jurisdictio læsa videatur & eo no-
mine ab hoc illi satisfieri debeat, datis literis reversabilibus, vel ra-
tione aliâ, ea propter tamen sepulchri religio non violanda & mor-
tuis effodiendus, nisi forte corporis delicti indagandi gratiâ in-
spici vulnus debeat, & circumstantia temporis, qualitasque cada-

veris eruendi hoc patiatur. Felin. in cap. 9. X. de Judaeis. n. 1. Berlich. P. V. Concl. 47. n. 44.

IV. In Concilio Toletano IV. c. 45. exhumatio vel sepulchri saltem apertura fieri vetatur sine licentiâ Episcopi vel Judicis Ecclesiastici, concedi autem tribus potissimum casibus Bertrachin in Repertor. voc. *Sepultura* annotavit: Si sepultus usurarius manifestus, vel excommunicatus, vel interdictus nominatim, sed & superimpositus sepulchro alieno. *Concil. Matise. II. c. 17. Antisiod. c. 15.* atque adeo hodiernum translationes sepulcorum corporum sine autoritate publicâ Confistoriorum fieri non posse, docet Carpzov. *Lib. 2. Jpr. Eccles. Def. 386. n. 8. 9.* quâquam Magistratus Politici autoritatem hic penitus exclusam nolum, cui ut de Sepulchris certo modo statuere integrum esse, superiori capite diximus, ita nec hic, quando de effodiendo & transferendo cadavere sermo est, excludendus erit, maxime si eximatur ob causam ad altam Jurisdictionem pertinentem, atque hinc cadaver hominis occisi in coemeterio repertum, inò jam sepultum tolli aut effodi autoritate ejus debere, qui habet merum Imperium, irrequisito Superintendentis consensu, posse, adducto præjudicio asserit Dr. Ziegler in *Superint. c. 16. §. 25. 26.*

V. Ad illicitam etiam transportationem referè deportatorum & relegatorum, qui durante hac pœnâ mortui, in locum interdictum vehi, ibique in sepulchrum familiare inferri prohibentur. Est enim illa in jure recepta Regula, ubi quis vivus non potest manere, ibi nec mortuus sepeliri, Bartol. in *L. 2. ff. de Cadav. punir.* Covarr. *lib. 2. Res. 10. n. 11.* Peregrin. de *Jure Fisci lib. 4. r. 5. n. 5.* Valq. *Contr. Illust. P. 1. l. 3. c. 36. n. 8. 10.* Hæc verò in loco, unde quis relegatus manere non potuit, ergo nec mortuus inconsulto Principe aut Magistratu eò transferri potest, quo pertinet *L. 4. ff. de Pen. & textus expressus in L. 2. ff. de Cadav. punir. Si quis in Insulam deportatus vel relegatus fuerit, pœna etiam post mortem manet nec licet eum inde transferre alicubi & sepelire inconsulto Principe, ut sapientissime Severus & Antoninus rescripserunt.* Nam sicut commeatum & remeatum nemo potest dare exuli, nisi is, qui in Insulam deportavit, aut aliò exire jussit eum, ita nec post mortem exulis corpus restitui, nisi ejus consensu, terra, quâ exire jussus est, potest d. *L. 4. Heig. p. 2. qv. est. 37. n. 31. Gomez. Tir. 3. Resol.*

24. n. 8. Quod de relegatis dictum, idem de *confinatis* etiam statuerendum existimo, hoc est, iis qui propter delictum ad certum locum hae lege missi sunt, ut vel in perpetuum vel ad tempus eum non egrediantur, hos si contingat ibidem mori, inibi etiam sepeliendi sunt, nec transportatio horum corporum in sepulcrum familiare aut hereditarium permittitur, nisi forte confinatio ad domum propriam tantum sit restricta, de quo casu *L. 9. ff. de Interd. & relegat.* loquitur, is enim tunc vel in publico loci cimiterio vel sepulcro, quod ibi habet, proprio sepeliri potest. Giurba *Consil. 81. n. 4.* Dn. Stryk. *Disp. de Confinat. cap. 6. ch. 1.* Hackmannt de *Confinat. cap. 11. n. ult.* An autem haec in ossibus relegatis, quae amplius non habent formam humanam, non procedant, sed posse eadem licite transportari, quod Caballin. *Cas. 83. n. 1. seqq. & Cas. 265.* statuit, & ideo cautelam suppeditat Gvazzinus in *defens. reor. 38. c. 7. n. ult.* cognatis banniti aut relegati, ut deponant cadaver aliquo in loco extra jurisdictionem Principis bannientis, donec amittat formam humanam & deinde ossa cineres in urna vel capsâ reponant, & conducant in sepulturam suorum antiquorum in propria patria absque tamen solemnitate aliquâ, id ego in genere licitorum & sine periculo transportantibus esse, ut asseram, adduci minime possum.

VI. Referenda in censum transportari prohibitorum sunt, & capite punitorum, seu, ut Paulus loquitur, animadverforum corpora, quoniam enim in *L. 3. ff. de Cadav. puni.* quibuslibet petentibus ad sepulturam, danda esse dicantur, nonnunquam tamen non petitti Ulpianus in *L. 1. d. 1.* respondit, quod in his maxime, quibus ex legis dispositione sepultura denegatur, procedere in aprico est, criminis puta laesa Majestatis, conjurationis, parricidii, furti, latrocinii damnatis, quorum similibusque corpora aut palis affixa, aut rotis imposita aut patibulo suspensa auferri & ad locum sepulturae transferri invito Magistratu fas non est. vid. Capz. *P. 4. Const. 34. Def. 4.* Berlich. *P. 4. Concl. 48. n. 21.* Brannem. in *repet. ad parat. Wesenb. Tit. de Cadav. puni. qv. 4.*

VII. Quâ in re non levis difficultas se exferit, an summi Principis potestas eò se extendat, ut in civilis partem computationem etiam sepulturae privationem referre possit, ita ut poena etiam post mortem mittatur? Sunt enim, qui hoc repugnare omni diviño humanoque juri

ei existimant: & Alii quidem *Deuter. 6. XXI. v. 22. 23.* allegante ex
 quo constat voluisse DEUM, ut suspensi sub vesperam cruce depo-
 nantur & terræ mandentur: cuius rei rationem hanc reddunt Hebrei
 interpretes, exhibitum esse hunc honorem divinæ imagini, ad quam
 homo sit conditus, alii, quod ultra modum non exasperanda poena,
 & cum per suspendium legi divinæ satisfactum sit, execratioque illo
 die finita, deponi debuisset sub vesperam, ne amplius etiam pro po-
 pulo haberetur pro maledicto; & Iudices scævendo non contamina-
 rent terram, quam in rem adducunt exempla Josuæ *VIII. 29. X. 26. 27.*
Davidis 2. Sam. XXI. 12. 13. 14. & can. 30. XIII. quest. 2. De jure etiam
 naturæ dubitare fas non esse, cum officium non tam homini, quam
 humanitati præstandum duxerint sapientes. Senec. *de benef. lib. 5. c. 20.*
 & Quintilian. *Declam. 6.* & Livius denegationem sepulturae scævitàm
 ultra humanarum irarum finem appellet. Ant. Matth. *de Crimin. in*
proleg. cap. 3. §. 5. Ex gentium etiam jure, quod ex voluntate ortum
 habet, deberi, præter Hug. Grot. *l. 2. de J. D. & P. c. 19. n. 1. 2. & 4.*
 prolixè ostendit Petr. Faber *l. 2. Semestr. c. 1.* Cui LL. civilium bene-
 placita superaddunt, quando in *L. 11. C. de Reliq. & S. F. Dioclet. &*
Maximian. obnoxios criminum digno supplicio subiectos, sepul-
turæ tradi, se non vetare rescripserunt, & Marcianus in L. 9. C.
de heret. quam Cujacius restituit lib. 12. Obs. 30. hæreticis id permittit
 humanum & pium arbitratu est. Addunt & rationes varias, quod
 salus Reip. sepulturam efflagitet, ne aliàs foetor ex cadaveribus pro-
 veniens aërem inficiat, item, ne tetra illa spectacula gravidis mulie-
 ribus, que sæpius visu in ea incurrunt, dum ad vias potissimum pa-
 tibula ac rotæ collocari solent, quæ & ipsa tamen homines satis de-
 hortari poterant à sceleribus, sint noxia. Didac. Covarruv. *lib. 1. Ref.*
1. Ant. Gomez. var. Resol. lib. 3. c. 14. Jul. Clar. lib. 5. recept. sentent. §.
fin. qv. 100. Everh. Speckhan cent. 1. Miscell. quest. 9. Bidembach. Parr.
ult. Promt. exequ. class. 10. Them. 7. Brunnem. ad L. 1. ff. de Cadav. pu-
nit. & in Process. inqvisit. cap. 10. n. 33. Zeppus ad LL. Mosaic. l. 5. c.
7. & alii.

XIX. At sicut hæc omnia jure ordinario vera sunt, ita ubi
 propter frequentiam pravitatemque delinquentium aliquorum ma-
 leficiorum supplicia exacerbanda sunt, quoties scilicet multis perso-
 nis

his grassantibus exemplo opus est, secundum responsum Claudii Sa-
turnini in *L. 16. §. 10. ff. de Pen. regula* illa suum perdit officium, quan-
doquidem & ipsum Deum iudicem iustissimum, impiis honorem se-
pultura interdum interdixisse negasseque passum in sacro Codice vi-
dere licet, *Jerem. XXII, 19. XVI, 4. 6. i. Sam. XVII, 46. i. Reg. XIV, 31, II. Reg. IX, 10. 33.* quod cum DEUM jure suo fecisse largiatur Grotius
d. l. n. 4. exinde non esse natura illicitum in sepulchrum relinquere sum-
me facinorosum, largiri necesse habet, Ziegl. *ad d. l. & hinc Calli-
stratus in L. 28. §. 15. ff. de pœnis.* famosos latrones in his locis ubi gras-
sati sunt furcâ figendos, quam pluribus placuisse docet, ut & conspè-
ctu deterreantur alii ab iisdem facinoribus: quæ ratio etiam reperitur
in gloss. Germ. *Landes R. lib. 1. verb. Niemand. n. 7. & ibi quoque apo-
stillator glossæ Weichbild, art. 36. Und man begräbt sie selten/ darûn/
daß man andern damit erschrecket* add. in *d. l. 28.* ut id solatio sit co-
gnatis & affinis interemtorum, eodem loco pœnam redditam; in
quo latrones homicidia fecissent. Et bene Hahn, ad Wesenb. *de Ca-
dav. punit.* duplicem pœnæ finem docet, emendationem nempe de-
linquentis & exemplum ac memoriam punitiois, ac pœnarum frus-
trum omnium maximum pertinere ad exemplum Bôdinus ait *lib. 7. de
Rep. cap. 4. n. 21.*

IX. Nec in contrarium antea allata, satis valida argumenta
videntur. Lex enim Mosaica divini quidem juris est, sed positiva
& forensis, quæ idcirco aliter se apud alias gentes habere potest, Ziegl.
ad d. l. Grot. & rationem ejus non moralem sed ceremonialem fuisse,
nec ipsam tamen semper observatam Osander ostendit *ad d. l. n. 1105.*
& exempla præced. §. allata confirmant. v. Carpov. *Pr. Crimin. P.*
3. q. 137. n. 70. Grotius *d. l. n. 5.* imaginem autem divinam seu ut Con-
stantinus in *l. 17. C. de pœn.* loquitur similitudinem celestis pulchri-
tudinis non in corpore & facie, sed animâ, in perfectâ sc. sanctitate &
justitia constitisse Dn. Ziegl. *ad d. l. Grotii p. 420.* annotat. jung. Ant.
Matth. *de crim. l. 48. tit. 18. n. 11.* Sed & jura Canonica superius alle-
gata secundum distinctionem juris civilis in *L. 1. ff. de Cadav. punit.* in-
telligenda sunt Hostiens. in *rubr. de Sepult. n. 4. verb. quod de suspensis.* Go-
inez *d. c. 14. n. 8.* & quæ de naturæ & gentium jure allata sunt, regulam
solum indignant, non verò exceptionem in insigniter facinorosis
impu-

ina pagnant, nec juris civilis allegata loca destruant, ex quibus id tantum sequitur, posse principem aut iudicem, si ab ipso petatur, rigorem pœnæ remittere, & ad sepulturam cadavera punitorum concedere, non autem quod necessariò id agere debeat, aut si secus faciat, peccet. Nec rationes subjectæ ad omne tempus anni, quo supplicia exercentur, applicari, neque etiam calidissimâ tempestate ex uno aut altero corpore tale quid contingere potest; & per accidens planè fieret, si ex aspectu cadaveris grâvida mulier incommo- dum sentiret, quod hic non attenditur, præsertim cura ejus quoque culpa in eo versetur, cum avertere faciem suam possit. Denique quod ex solo ligni aspectu desumitur remedium, nimis inefficax, coercendis perverfis hominum moribus videtur ad *ἄγασθαι* constituendum metu cognitæ pœnæ. Gellius l. 6. N. A. c. 14. & ut Seneca lib. 1. de Ira cap. 16. ait, *nequitia male cedentis exemplis opus est, ut unius pœna metus possit esse multorum.* Add. Menoch. A. F. Q. cas. 387. n. ult. Heig. Part. 2. quæst. 37. n. 38. Gvazi. Def. 38. c. 7. n. 5. Ziegl. ad Grot. p. 421. Berlich. P. 4. concl. 48. Calov. in Comment. ad Genes. c. 40. p. 3. v. 22. pag. 1249. Schikard. ad Jus Reg. Hebr. cap. 4. theor. 14. n. 99. p. 151. ibique Carpz.

X. Sed si præter istos casus, quibus punitis sepultura denegari solet, capite quis fuerit plexus & ab inimicis & cognatis ad sepulturam petitum fuerit corpus, sec. L. 1. §. 3. ff. de Cadav. punit. an hoc ut & prioribus istis si ex gratiâ à Principe sepultura concessa fuerit, licite in patriam transferri ad sepulcrum suum possit? quæritur; quod affirmandum omnino est, nam sicut aliàs prætextu debiti cadaver defuncti etiam puniti, à creditoribus arrestari neutiqum aut à sepul- turâ detineri potest, ita & si per territorium alterius ad sepulcrum forte familiare alibi situm transvehatur, detineri neutiqum poterit, modo ea observentur, quæ in præcedente capite circa licitam dedu- ctionem observanda diximus, id quod pari ratione procedit in cada- vere puniti Medicis ad anatomiam concessi, quod ad hunc finem ipsis per territorium aliud, modo prius hoc legitime à principe aut Magi- stratu impetraverit (propriâ enim autoritate si detrahere illa tentent, ejusdem quâ propinqui & amici sepulturæ gratia, sicut contrectent, plechuntur, pœnæ rei sunt, ut ex Tib. Deciano & Dan. Mollero ob- servat

servat Berlich. P. 4. *Concl.* 48. n. 20) deducere integrum est. Vid. Barasim. Ungebaur *Exerc.* 13. *quæst.* 4. *in f.* Petr. Theodor. *Coll. Crim. cas.* apb. 6. n. 10. n. Gyazz. *in defens. foreor. c.* 38. n. ult. Carpz. *Pr. Crimin.* p. 3. qv. 137. n. 72. *seq.* Everh. Spekhahn *Cent.* 1. *quæst.* B.

XI. Denique ad illicitam transportationis objectum corpora peste defunctorum merito referenda quoque veniant, cum enim propter salutem urbis & provinciae peste etiam in urbe extincti in loco extraordinario & diverso sepeliri soleant, Carpz. *lib.* 2. *J. Prud. Confistor.* *Def.* 394. n. 12. nec transportatio tuto concedi, nec salva etiam conscientia peti aut tentari poterit, cum tale quid impetrans & concedens occasionem mali, quod inde toti alicui provinciae attrahi solet, non exiguam præbere possit & hac ratione interitus tot hominum causa ipsi non immerito imputari valeat. vid. Feltn. *de Cadav.* *inspic. cap.* 16. n. 6. Ripa Tr. *de Peste Tit. de Remed. preserv.* n. 131. *add.* Churfürst. Sächf. *Ausschreiben an die Superintendenten de dato Meissen 6. Sept. 1680. quod extat apud Stockmannum n. Hoöger. postil. in appendice.*

CAP. V.

DE REMEDIIS TRANSPORTATIONIS NOMINE COMPETENTIBUS.

§. I.

Transportationis defunctorum nomine duo potissimum in legibus nostris data remedia reperio, aut enim ei, qui prohibetur mortuum ossaque ejus transferri, integrum est, statim *interdicto* uti, aut aliò inferre & postea *in factum agere*. Illud, de quo in *Tit. ff. de mort. infer.* interdictum prohibitorium est, quo Prætor vim fieri vetat ei, qui vult mortuum eo loco inferre & sepelire, quo ei inferendi & sepeliendi jus est, invito etiam prohibente, *L. 1. pr. §. 1. h. t.* & hoc eo etiam extenditur, *in 1. §. 3.* Si quis in itinere arceatur, sive viâ eâ, quæ debetur fundo, in quem inferre quis vult, prohibeatur. Et hoc momentaneo processu, sicut alais jus est in possessorio, & negotii presentis qualitas postulat, ex pedire quo facit *L. 12. pr. ff. de Relig. §. Sumt Fun.* & heredibus datur, in heredes autem non porrigitur, quia ex dicto est. Oldend. *Class. 2. art. 9. Tit. de Mort. infer. n. 2.*

F

II. Affinis

II. Affinis huic altera est *in factum actio*, in *L. 8. §. f. ff. L. 9. ff. de Relig. & Summ. Fun.* à precedente in eo differens, quod illa ad corpus mortuum inferendum & impedimentum removendum pertineat, hæc ad illatum seu sepultum, quâ nempe qui impeditus & prohibitus est corpus in locum, in quem volebat, & in quem illud transportare jus erat, transferre, si necessitate coactus alio loco intulerit, ad id agit, ut consequatur quanti ejus interfuit, prohibitum non esse, in quam computationem cadit etiam loci emti pretium, (non secundum rei veritatem, sed quanti ab actore aestimatur, per *L. 5. §. 1. ff. ne quis eum qui in jus voc.*) aut conducti merces, item sui loci pretium, quem quis nisi coactus fuisset religiosum facturus non esset *dd. LL.* Quam actionem prætor dedit perpetuam, & quamvis pecuniariæ quantitatis ratio in eam deducatur, tamen neque in heredem neque heredi competentem *L. 9. d. t. & hoc quidem cum similis injuriarum actio in sit, L. 8. pr. h. t. junct. L. 1. §. 6. ff. de Injur.* quæ ut vindicta persecutoria heredibus non competit. *§. 1. ff. de perpet. & temp. act.* nec adversus heredes, ob similitudinem ex delictis descendentium, quas licet rem persequantur, adversus heredes tamen non transire, ex *L. 5. 6. 7. ff. de Alienat. jud. mut. causa fact.* patescit. Unde non erat ut Cujac. *lib. 8. Observo. 12.* & Godofr. *ad d. L. 9. lit. D.* statueret, exemplum hic occurrere *L. 20. ff. d. LL.* quâ non omnium, quæ à majoribus constituta sunt, rationem reddi posse Julianus afferebat. *conf. Ant. Faber in Rational. ad d. L. 9. Jac. Guther. lib. 3. de Jure Man. cap. 16. p. 500.*

III. Cæterum non est, ut existimet quis, frustra nos esse, dum hæc actionum & interdicatorum sepulchralium formulas hic pertractamus: quamvis enim hodie, ad nostra coemiteria & templa, in quibus sepelire solemus, cuius aditus pateat, possumus tamen aliquid, ut ex superius allatis apparet, vel ob inundationem vel hostilitatem aliamque gravem causam viâ publicâ uti prohiberi, præsertim si ex castris & pagis funera sint deducenda, quomodo & aliàs extra religionis causam sæpe per agros & prata vicinorum transeundum & eorum forsan admodum morosorum, & sicut experientia docet, gladiis & sclopetis iter prohibentium attentatis compescendis consulendum, ut loquitur Mindan. *de interd. tit. 2. n. 51. sqq. add. Georg. Schulz ad §. 1. ff. de Interd. tit. 1.*

IV. Per-

IV. Pertinet & huc actio confessoria ad vindicandum iter & a-
ctum, per alterius fundum debitum, dum funus ad sepulcrum trans-
portatur, cuius hoc singulare est, ut non utendo non amittatur, *L.*
4. ff. quemadm. serv. amitt. quod ita tum favore religionis & utilitatis
publicae, tum propterea constitutum est, quod certum tempus huc
praescriptioni, quando non semper adsunt sepeliendi, non potuerit
constitui. vid. *Wissenb. ad ff. P. i. Disp. 20. th. 26.* Hillig ad *Donell. II.*
Comm. 19. lit. D. Ludw. ad Wes. ff. quib. mod. serv. amitt. n. fin.

V. Referenda huc quoque videtur conditio ex Novella lege
contra arrestantes cadavera defunctorum prodita, *Auth. item qui do-
mum morib. de Sepulch. viol. Nov. 60. c. 1. Nov. 115. c. 5.* heredibus arrestati ad
alterum tantum petendum competens, *arg. L. 1. ff. de condict. ex lege Rich-
ter ad d. auth. n. 54.* quae an consuetudine universalis hodie sublata sit,
quod de omni poenali actione ex Jure Romano descendente Felma-
nus asserit, *Tr. de Cadav. inspic. cap. 36. n. ult.* est quod adhuc dubites.
Sed nec actio injuriarum heredibus deneganda est, cum lex ipsa vide-
atur revocare ad animum injuriarum pro reliquiis defunctorum, ut
ex *Deciano & Felino* loquitur *Berlichius. Part. 5. concl. 47. n. 40.* id-
que sibi velint. *d. Nov. 60. c. 1. & Auth. ibi heredibus injuriati fac. huc.*
L. 3. §. 8. ff. de Sep. viol. L. 1. §. 4. ff. de Injur. *Hahn ad Welsenbec. de*
Relig. n. 4.

VI. Porro sicut contra transitum per viam publicam sine justa
causa denegantes vel impediens interdicta prohibitoria jure Roma-
no dantur *L. 2. §. f. ff. ut in flum. publ. nav. lic.* ita eadem injuste trans-
portationem funerum impediens, deneganda non videatur. *fac.*
R. J. de Anno 1548. §. Ferner zu noch mehrev. verb. das einem jeden. a-
deoque & in Camerâ decernuntur mandata inhibitoria sine clausulâ
de non impediendo viæ vel fluminis usu, absque tamen citatione ad
docendum vel videndum, quæ aliâ in §. 7. Spirens. de Anno 1570. §.
82. & de Anno 1594. §. 66. nec non in Ord. Camer. P. 2. Tit. 22. verb.
Mit angehengter. generaliter requiritur, vid. Blunt de Proc. Cameral.
tit. 34. n. 27. 28. Phil. Albr. Orth. de Jure Conduc. cap. 8. p. 266.

VII. Ratione sumtuum in transportationem funeris fa-
ctorum, seu ut *Jctus in L. 37. pr. de ff. Relig.* loquitur, *vestura*, fune-
raria actio competit, quæ is, qui impensas tales præter legis necessita-

san animo repetendi fecit, contra eos, ad quos cura funeris pertinet, experitur, ut sumus restituant, *L. 14. §. 6. 13. 14. Et passim ff. de Reliq. Et sumt. Fun. potissimum §. 4. verb. impensa peregre mortuo quæ facta est ut corpus perferretur funeris est, licet nondum homo funeretur.* Etque ex peculiari quodam qf. contractu sive cum defuncto *L. 1. ff. d. r. sive cum herede L. 14. §. 7. in ito*, adeoque negotiorum gestionis adjectitia quædam qualitas. *Struv. Exerc. 15. th. 85. in subsidium, omni aliâ actione deficiente data d. L. 14. §. 12. 15. & ita privilegiata, ut cum bona solvendo non sint, omne creditum præcedat. L. 45. L. 19. d. r. L. 17. pr. de Reb. aut. Jud. possid. adde Constit. Elect. Sax. Aug. 28. part. 1. Et Ord. Præx. El. Sax. Tit. 42. §. Ferner soll dasjenige.*

IX. Denique quod ad forum attinet, in quo ventilandæ sunt causæ, super transportationibus defunctorum exortæ, siquidem de ceremoniis aut jure Parochiali, vi cuius unius communitatis incolæ alterius mortuos in suum cœmiterium recipere tenentur similique sermo sit, causæ cognitio ad iudicem Ecclesiasticum utique spectat, cum moribus hodiernis, quibus ad Principes vi superioritatis territorialis spectant Jura Ecclesiastica, hi per Consistoria sua eadem exerce-re soleant. *Carpzov. lib. 1. Jprud. Eccles. Def. 10. Et lib. 1. Ref. 86. Ord. Eccles. Saxoni. Art. gener. 15. in fin.* si tamen de controversiis circa ipsam transportationem exortis, aut etiam sumtibus in eam factis, aut super possessione exoriatu quæstio, quò actiones in hoc capite recensitæ tendunt, hæc ad politici Magistratus tribunal pertinent, præsertim cum & jus ipsum sepeliendi hodie à patrono proindeque Magistratu Politico impetrari soleat & causæ, quæ mediante actionibus istis recensitis ventilantur, seculares sunt, in foro proinde seculari etiam tractandæ. *Vid. Finckelth. de Jure Sepulti. Th. 4. 75. Et 76. Carpzov. h. 1. Jprud. Eccles. def. 138. n. 6. Schilter in Inst. Jur. Can. tit. 1. lit. 5. §. n. estque modo domicilii rei, L. 2. C. ubi Senat. L. 2. C. de Jurisd. modo defuncti L. 2. ff. de Reliq. L. 19. ff. de Judic. Finckelth. d. th. 76. Add. Matth. Steph. de Jure Patron. P. 1. cap. 24. n. 13. seq. Finckelth. de Jure Patron. cap. 6. p. 140. Carpz. P. 1. Resp. 86. n. final. appellatio autem in causis sepulturæ, si moram hæc non patiantur, non admittitur. *Carpz. h. 2. Jpr. Consist. def. 395.**

Sufficiant igitur hæc, cum pro Instituti nostri ratione de steri-

li atque angustâ hæc materia satis nos differuisse existimemus. Bene-
volum interim lectorem eâ quâ par est humanitate rogito, ut primum
huncce rudioris adhuc in Themidis sacrario acquisitæ scientiæ
partum, sereno pectore suscipere, eâ, quæ minus accurate à me
sunt tradita, æqui bonique consulere, meque ulteriori suo adfectu at-
que favore non indignum judicare velit. Quod vel ex hoc sal-
tem certò mihi polliceor, si L. B. hocce non ut

JCTi, sed ut Tyronis adhuc

penfitabit conatus.

S. D. G.

COROLLARIA.

- I. Rex Romanorum vivo adhuc Imperatore electus,
nova Privilegia, Jura & Regalia proprio Jure tri-
buere non potest.
- II. Status Imperii recte etiam dicuntur cives Imperii.
- III. Nobiles immediati non sunt status Imperii.
- IV. Repressalia sunt licitæ.
- V. Consuetudinem illam, quod defunctorum Paro-
chorum viduæ vel filiaë relictæ in Parochiis ma-
nere & à successoribus in uxores duci debeant,
validis rationibus nisi non arbitror.

PATRIS AHASVERI, quem doctus prædicat orbis,
Exemplo, FRITSCHI, scribere docta paras.
Te tantum extimulant vestigia clara Parentis,
Ut proprii ingenii des documenta tui.
Gratulor ex animo! Successum Jova paternis
Usque dedit studiis, utque det ille tuis.

A 3

Præ-

Præmia quæ Patris meruit solertia dudum,
Mox virtute iterum promerere nova.

Sic gratulab.

D. Andreas Mylius.

Just. Imp. Prof. Publ. & F. Jur. Assell.

FRITSCHIUS ecce legit *Patris* vestigia *Magni*,
Audit AHASVERUSFRITSCHIUS ipse *Pater*.
Hunc ego jam dudum magni colo Numinis instar.
Namque sua magna me revelavit ope.
Gnatus cum sequitur merito, qui ad maxima natus,
Nunc memor officii non nisi summa petit.
Scilicet, ut veniat summi ad fastigia juris,
Nititur. Hæc dudum possidet ipse *Pater*.
Hæc, inquam, *Gnatum* prope conscendisse videmus
Ex studiis, quorum dat documenta, suis.
Nec frustra ascendes, FRITSCHI doctissime, crede,
Nam Tibi Pierides præmia magna parant,
Tantas honos, nomenque tuum, laudesque manebunt
Tantæ, quanta *Patris* Gloria, quantus honos.

*Nobilissimo Dn. Respondenti Dissertationis
presentis Authori in sincera amicitia tes-
seram hæc gratulabundus apposuit*

Johannes Fridericus Seuner/
J. V. C.

Quem Themidos sibi Salanæ speraverat umbo,
Hoc renitere suum jam Philyrina videt,
Dumque sui videt egregium sic ordinis augmen,
Felicis vel eò nomine nomen habet.

Nam-

Namqve PATREM famâ notum super æthera novit,
Teqve haut exiguum novit Agalma Patris.
Magni igitur salve clamat spes unica FRITSCHI,
Flos Themidos, Peithus cor, charidumqve decus;
Phœbus te vidit, vidit Te pallida Phœbe
Lustrantem affiduô tempea docta pede
Unica, qvam felix sinuosô è Juris acervo
Promis, Materies ardua testis erit.
Ingenium capit hanc, illum facundia lingvæ,
Judiciiqve alium vis generosa capit.
Salve & perge istum rectâ decurrere callem,
Docta qve victorem Fama per ora vehet.
FRITSCHIUS è terris quando discesserit olim,
In GNATO FRITSCHI gloria semper erit!
Euge bonum factum! multô sic nomine plausum,
FRITSCHI, nofter AMOR, fausta q; verba meres.
Acclamant omnes, & PATRIS tamite, clamant,
Succedens parili non fruêrer scopô?

*Amico suo & Fautori astumatissimo, Nobilissimo
DN. FRITSCHIO adfectum sincerum
ita restantur*

COMMENSALES.




Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

COMMENTARIES







ULB Halle
002 424 460




3

52

V 17







Dis. f. 1608.
2, 61.
122.

L. N. 7.
DISPUTATIO JURIDICA
DE

TRANSPORTATIONE
DEFUNCTORUM
PER TERRITORIUM
ALIENUM,

Von Durchführung
der Verstorbenen /

Quam
Auspice DEO TER Optimo Maximo,
ET

Magnifico Jctorum Ordine permittente
PRÆSIDE

DN. AUGUSTO BENEDICTO
CARPZOVIO,

J. U. D. Pandectarum Profess. Publ. & Facultatis
Juridicæ Lipsiensis Assessor, e,

Publicæ Eruditorum disquisitioni submittit

Christian Siegfried Juitsch / Schwartzb.

AUTOR & RESP.
Die XVI. Januar. Anno MDC XC.

EDITIO TERLIA.

LIPSIAE,
Typis JOH. CHRISTOPH. BRANDENBURGERI.